





CHRISTIANI FALSTERI

AMOENITATES PHILOLOGICÆ,

SIVE

DISCURSUS VARII.



AMSTELODAMI,
APUD ADRIANUM WOR,
& *hæred.* ONDER DE LINDEN.
E. Piccioli M DCC XXXII. a Napoli



ILLUSTRISSIMO

ATQUE

GENEROSISSIMO

OTHONI TOT,

S. R. M. DAN. ET NORVEG.
A CONSILIIS STATUS
ET JUSTITIÆ,

NEC NON

A RATIONIBUS CAMERÆ,

FAUTORI BENIGNISSIMO,

QUanquam non est TIBI, Illustrissime Domine, quò probare possis, me in ære Tuo esse, non Tabula, non Chirographum, non Testis: injuriæ tamen ge-

nus quoddam esse puto, patrimonio illi gratiæ & honoris, quod TUI TIBI reliquerunt, fraudem facere. Scilicet illustres TUI Majores quondam beatos meos multiplici officiorum genere ornârunt, quorum certiorem memoriam per maturum parentis mei obitum ad me non pervenisse doleo. Nihilo minus quum hanc ipsam memoriam, quam puer a beata matre accepi, in animo meo diligentissime insculptam ad hunc diem circumfero; atque quum alium Lapidem, qui fideliter

liter eam custodiat, non habeo, quàm Chartaceum, Stylum non alium quàm plumeum: accipe, quæso, Generosissime Heros, hoc *Tertium* SERMONUM meorum *Volumen*, tanquam pium devotissimæ meæ erga Majores TUOS observantiæ monumentum: accipe hanc Epistolam, tanquam Inscriptionem, universæ gentis TOTTIÆ virtutibus, & privatis in meos beneficiis dedicatam. Venerentur Ægyptii veteres suum THOTH: Marmore exornet priscus ille Romanus

 suam

ſuam TOTIAM, *Priſci filium*: multò ſinceriore in honore apud noſtrates erunt vel unus Tuus doctiſſimus Avus, OTHO TOT, (de aliis taceo) vel una immortalis TOTTIA noſtra BIRGITTA, ut de BEATA atque ANNA, heroidibus litterarum gloria per omnem poſteritatem florentibus, nihil nunc dicam. Quibus quidem avitis imaginibus quum Tu, Illuſtriſſime TOT, præclarum atque condignum lumen affers, (nihil profecto blandior: teſtes ſunt Academiæ ex-

teræ

teræ, teſtes bonarum artium Profeſſores domeſtici, teſtis opera, quam patriæ præſtas) non eſt quod mireris, ſi, quod TUIS defunctis debeo, TIBI nepoti ſolvere malim, quàm ingratus mori, & debito majorum meorum renunciare. Ceterum ſi vel maximè nullus TIBI avus eſſet, cujus ex meritis TU fructum aliquem honoris metere poſſes: ea tamen in gloria Virtutes TUÆ, TUA ſtudia ſunt, doctiſſime HEROS, ut Naturæ pro TE, TIBI pro Natura gratias debeam; *Natu-*

ra, inquam, quæ utilem TE civem nobis, benignum Fautorem mihi dedit: TIBI, qui acceptas ab illa dotes in ornamentum patriæ & civile & litterarium gloriosè convertis. Quo fit, ut optimus quisque felicitatis noſtræ communis æſtimator quam honorificentisſimè TE colat, vix verò quisquam honorificentius quàm.

Devotiſſimus Tuus

CHRISTIANUS FALSTERUS.

ILLUSTRISSIMO

ATQUE

GENEROSISSIMO

OTHONI DIETERICO,

Comiti de SCHACK,

Hæreditario Domino in *Gram* & *Seekamp*,

S. R. M. DAN. ET NORV. MAGISTRO CUBICULI, PATRONO BENIGNISSIMO.

QUod TIBI *pretiosior* TUA *supellex est*, *id mihi* TUA *benignitas*, TUUS *favor est*, ILLUSTRISSIME COMES: *quocirca non est quod mireris*, *si diligentis patrisfamilias instar* TUAM *erga me Voluntatem quam maximo opere custodire sagatam*. TU *ab ineunte ætate pro nativa indolis* TUÆ *mansuetudine nullô non studii genere me in-*

dig-

dignissimum prosequutus fuisti: ego vicissim gratô animô sæpius iterumque agitavi, quo pacto ex privatîs TUIS *de me meritis publicum aliquem laudis & gratiæ fructum in Agello meo metere possem? Qua in re cum aliam invenire viam mihi non licuerit, nisi frequentem illam & jam multis seculis tritam, ut scriptores Patronis suis sua ingenii monumenta inscribant, patere, supplex obsecro,* ILLUSTRISSIME COMES, *sublimi* TUO *Nomini humile hoc Volumen dari, quod ex animo gloriæ* TUÆ *deditissimo offero*

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ DIGNITATIS,

Cliens Devotissimus.

Ripis Cimbr.
xi. Kal. Sept.
cIↄIↄccxxxi.

CHRIST. FALSTERUS.

INDEX

INDEX DISCURSUUM.

VOL. III.

XVIII.

CHRI-

CHRISTIANI FALSTERI

DISCURSUS I.

De nonnullis, quæ placent in Adversariis.

AD magnifici cujusdam Viri mensam nuper sermonem nobis severat pernota illa Episcopi quondam Hafniensis *Jo. Baggeri*, hominis eruditissimi, ad Augustissimum CHRISTIANUM V. Epistola, in qua acerrimus ille religionis patriæ vindex ad præsidium *Reformatæ* gentis in aula dejiciendum, ad molitionem ædis sacræ in Hafnia disjiciendam, ad universam familiam ex sedibus nostris ejiciendam, omnes machinas, omnia sacræ eloquentiæ arma quam maximô opere adhibuerat, his admonitionibus usus, Calvinianorum, quos vocat, doctrinam erroribus horrere, petitum eorum quam plurimum iniquitatis & periculi habere, civitatem nostram ex hac colluvie sentinam fore, actum fere esse de veritate Euangelica, actum de Pace publica, actum de liberrima supremi Magistratus auctoritate, si ex peregrino agro accessitantes hi advenæ in gregem nostrum reciperentur, nobisque

jure, quôdam hospitij & popularitatis præter consuetudinem jungerentur. Accidit forte, ut convivarum unus, sententiæ suæ eò minus capax, quò apertioris pectoris erat, virtutes Reformatorum, qui jam diu ab ætate *Baggeri* nostri inter nos vixerunt, quasi conductâ operâ prædicaret, quàm pacate illi suas sibi res habuerint, quâ fide nostrates coluerint, quanto usui rebus & temporibus nostris fuerint, quàm insignia, non profectò vitia, sed frugalitatis, sed honestatis, sed navitatis exempla in civitatem nostram transfuderint, ut invitare quàm vitare eos rectius foret, ut hospitium, quô ipsos etiam Judæos circumscriptores excipimus iis denegare Princeps sapienter nefas duxerit.

Aderat ecclesiastes quispiam, homo probæ fidei & veritatis retinentissimus, qui nihil, quod vel transversum digitum a moribus nostris recedit, rectè dici, rectè fieri persuasus, in caritatem patriæ & ecclesiæ domesticæ eum, qui tam honorificè de exteris adversariis existimabat, non leviter peccare prædicabat. Cui alter placidè & verecundè: Næ, inquit, in ipsam justitiam, in veritatem, in caritatem universæ societatis humanæ graviter peccarem, V. C. si secus, quam par est, de Virtutibus externorum judicarem. Næ is parum sapere videtur, qui in semet ipsum unicè conversus, alios parvi aut nullius pretii deputat, qui natale solum, quasi hoc universas naturæ venustates contineat, tantùm admiratur, reliqua-

rum

rum terræ partium indiligens æstimator. Ego profectò non is sum, qui tam miserè adolescentis instar amem, ut in unius alicujus formæ pulchritudine oculos, animum & mentem defigam. Amo uxorem meam, nihilo minus, salvâ pudicitiâ, alienas specto, laudo, diligo. Atque pariter equidem ecclesiæ domesticæ sic deditus sum, ut nihilo minus peregrinæ cuivis suum per me pretium, suus honos constet. Averso, fateor, animo ab *aula Romana* sum: odi hunc nidum, hujus ova, hujus pullos: gratias naturæ ago, quod ad cruentum & immane hujus tribunal non pertineo, quod inter varia hujus vitiosa vehicula, inter varios, ut ita dicam, aurigas in via, qua ad cœlum itur, non erro; quod a vanis & callidis hujus præstigiis imponi mihi non patior. Nihilo minus non diffiteor, in ecclesia Romana sanctas quasdam illecebras esse, quæ antiquitatis gratiam habent: pios illos & divino cultui consecratos secessus puto, item frigoris inediæque honestam patientiam, humanæ voluptatis seriam abdicationem, aliasque ab ipsis primoris ecclesiæ Christianæ conditoribus acceptas religiones. *Judæos* non fero: est tamen quod in his placet; nempe incredibilis & jam ab omni memoria constans Codicis Ebræi veneratio, quem priora pleraque Christianorum secula neglectui habuerê, doctiorum plerique hodie vix digito attingunt. Taceo de accurata Sabbati Judaici observatione, quæ, si superstitionem demas, præclaro

nobis exemplo est ad imitandum. *Muhamedanos* non audio: libenter tamen audio, hos civili obedientiâ contentos, Christianis uti & Judæis libertatem sacram indulgere, hos singulari quâdam liberalitatis promiscuæ in pauperes sive Christianos sive Judæos sive suos, nullâ religionis ratione habitâ, gloriâ florere, ut auctor est *Thevenotius*, (*a*) hos, quò securior sit rei sacræ tranquillitas, Disputationem de Religione patria Capite sancire. Quid? quod, Horum doctrina suis quoque subinde fabulis adspergitur, quæ animum meum non parum delectant. Sic præter eas, quas de *Dictis* quibusdam JESU CHRISTI ex Muhamedanis scriptoribus V. C. *Levinus Warnerus* (*b*) congessit, perjucunda perque utilis mihi videtur illa de artificio, quo Moses Pharaonem ab Atheismo ad veri DEI cognitionem revocasse perhibetur. (*c*) Scilicet „ *Propheta* jam sæpius atque iterum *Pharaonem*, ut æternum esse DEUM mundumque ab infinita sapientia conditum persuaderet, aggressus, quum nihil planè se proficere videret, clam in vasta solitudine amœnum ædificium exstrui curat. Quid fit? Rex non ita multo pòst venatum profectus, atque e longinquo splendidum illud

a. Lib. I. Itiner. c. 38. *b*. In Notis ad Centur. Proverb. Persic. Prov. LXI. p. 30. sq. *c*. Vid. Jo. Chardin in Descript. Persiæ T. X. p. 46. & Fabric. Cod. Pseud. V. T. p. 836.

„ lud palatium in loco tam remoto conſpica-
„ tus, videndi cupidus advolat, quid iſtuc
„ ſpectaculi ſit, quô auctore erectum, re-
„ quirit. Tum vero cunctis ſe neſcire faten-
„ tibus, Moſes demum reſpondet, *dubium*
„ *non eſſe, quin absque artificis manu ſponte*
„ *exſtiterit*. Quô auditô, Rex in cachinnum
„ effuſus, homine, qui ſe *Prophetam* vendi-
„ tat, indignam hanc vocem eſſe exclamat.
„ Ad quæ Moſes: *ô Rex*, inquit, *perridicu-*
„ *la & fidem non capientia, quæ dico, tibi vi-*
„ *dentur: Tute vero univerſam bujus Mundi*
„ *compagem ſponte exſtitiſſe credis? Quod ſi*
„ *pulchrum hoc ædificium, quod minutiſſima*
„ *quædam mundi portio eſt, in deſerto ſponte*
„ *non provenerit, aut provenire nequiverit,*
„ *quantò abſurdius eſt, quæſo, fabricam hujus*
„ *univerſi tam vaſtam, tam ſolidam omnibus-*
„ *que numeris perfectam ſibi ipſi, non ſapien-*
„ *tiſſimo alicui & potentiſſimo opifici originem*
„ *debere?* Quô argumentô victus Pharao,
„ jam in cultum DEI, quem Moſes docue-
„ rat, concedit.

Finitus ſermo erat, quum amicus eccleſiaſtes ad me converſus pro ea qua flagrabat eccleſiæ patriæ cupiditate, nomen Adverſariorum exſtinctum, ſacra peſſumdata, fana everſa ſe cupere ſeriò profiteretur. Quas ego præfervidas diras iraſque miratus, Memento, inquam, quandoquidem de *Fanis* loqueris, V. C. nusquam fere terrarum ædes divinas negligentius, ſocordius, frigidius quam apud

Christianos coli; nusquam a profanis & communibus vulgi ædiculis minus differre, unde convitia illa, quibus Judæi (*a*) templa nostra prosequuntur. Quid enim? Non sinat *Christus*, *ἵνα τὶς διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ*, *ut quisquam vas per templum portet*; (*b*) In nostris tamen templis haud aliter ac in foro, in trivio, in conciliabulis, ambulatur, discursatur, garritur; in his de gradu sæpe pulsim punctimve certatur: Hæc publicam otioso sive negotioso cuilibet viam præbent: Hæc, maximè in nocturnis Romanæ ecclesiæ sacris, veteri isti *Pervigilio Veneris* serviunt: Hæc tum demum divinam quandam Majestatem præferre videntur, quum ornamenta, quum pictas tabulas, sicuti *Alexandri Severi* lararium imagines *Christi*, *Abrahami* & *Orphei*, (*c*) ostentant. Adspice, quæso, delubra gentilium veterum, quæ tantâ hi pietate decorabant, ut *in illis neque exspuere neque nares emungere* fas esset, teste *Arriano*; (*d*) ut lex esset, *Qui in templo injuriam fecerit*, *decem millia denarium det ei*, *cui injuriam fecerit*: *decem millia civitati*, sicuti *Quintilianus* (*e*) refert, qui e vestigio subjicit: *Quid magis in ulla Republica curari observarique oportet quàm religionem? Sane petulantia aliis locis mediocrem habeat*

a. Vide *Jo. Wülferi* Theriacam Judaicam p. 122. sq.
b. Marc. XI. 16. *c*. Vid. Lamprid. in Severo Cap. 29.
d. Epictet. differt. Lib. IV, c. 2. *e*. Declam. CCLXV. p. m. 499.

beat reprehensionem. In templo vero, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo tacitam etiam mentem nostram custodimus, pulsare velut in solitudine, secreto quodam, non est ferendum. Audi monitum illud *Gellii:* (a) *Templa non vulgo ac temere, sed cum castitate cerimoniaque adeunda & reverenda & reformidanda sunt.* Ut innumera alia ethnicæ hujus religionis exempla transeam, ut nihil dicam de singulari reverentia, quam recentiores Ethnici adversus suas *Pagodas*, quam Turcæ adversus suas *Moscheas* adhibent, nemini paulo humaniori ignota.

Post hæc in pia vota concessum est, ut, dum alios repudiamus, ipsi ne repudiemur, ut ter Optimus DEUS nostri atque universi generis humani misereatur.

II.

Criticus Heautontimorumenos.

Limatus quispiam & emunctus humanitatis cultor, qui veterum elegantiarum curâ & memoriâ multâ erat, pro eo quo tenebatur *Artis Criticæ* studio, mille difficultates, ut aliam atque aliam lectionem in alio atque alio scriptore extunderet, ingenio suo fecerat. Hic præclarè se de republicâ litte-

a. Noct. Attic. IV. 9.

raria meritum ratus, ad me quodam die accedit, specimina affert, dexteritatis suæ arbitrum me poscit, cum fortuna, quæ MSStorum Codicum potestatem inviderat, seriò expostulat. Ego sollertiâ hominis non parum delectatus, avidè chartam arripio, emendationes inspicio, judicium tacitè mecum facio. Erant quæ mirifice placebant, nec deerant, quæ invitâ prorsus Minervâ, ut ajunt, excusa plus sumtus ingeniosi, si ita loqui licet, quam salis habebant.

Amicus Juvenis ex fronte mea, quam in his contrahi, in illis remitti viderat, sententiam meam haud obscurè conjectans, ut limam sive spongiam operi suo liberè adhibeam, liberaliter a me petit. Quam ego ingenuitatem deosculatus, Næ, inquam, tu alba avis es in livida gente Criticorum, qui tam morosam & confidentem plerique in conjecturis suis constantiam servant,

Ut contrà si quis sentiat, nihil sentiat, (*a*)

quod nimium quam arroganter olim *Volcatius Sedigitus* dixit. Ceterum ut apertè, quod judico, fatear, doleo tantam *MSStorum copiam* supereffe, quæ *Criticum magis implicat quam juvat*, ubi *Petrus Aurelius* probe monet; (*b*) doleo bonas nostri temporis horas tam

a. Vid. Gell. XV. 24. *b*. in responsione de Canone Arausicano ad Sirmondum T. III. p. 291.

tam misérè a Criticis nostris sæpe prodigi, qui tum demum immortalem tam ab antiquitate quam a posteritate gratiam se iniisse sperant, quum multiplices emendationes atque animadversiones in *Ovidium* laboriosè contulerint, quum innumeris librariorum veterum erroribus divinum *Novi Testamenti* codicem deformiter oneraverint, quum alios interpretes in re levissima de statu fortiter dejecisse sibi videntur. Qui quidem morbus litterarius si in posterum increbuerit, jam felicia prædico priora etiam barbara secula, jam Pyrrhonismo omnia plena erunt, jam in bonos scriptores veteres demum conveniet querula illa infelicis monumenti Inscriptio apud *Plinium*, (*a*) TURBA SE MEDICORUM PERIISSE.

His auditis Amicus, quomodo Auctorem veterem rite emendari oporteat, item quâ viâ ipse ego in *Noctibus Gellii* illustrandis progressus sim, placidè percontatur? Cui ego: Ante omnia, inquam, scriptorem, cui manum admovere consilium est, iterum iterumque lectitari oportet, ut penitus noscites, ut nihil in medulla, nihil in venis, quod non cognitum comprehensumque habeas, lateat. Parum est, hunc ex vultu & lineamentis aut ex ingenio aliorum judicare, nisi illum tanquam veterem amicum ex quotidiano usu cognoscas, quæ mens, quæ indoles sit, quod di-

 cendi

a. Hist. Nat. L. XXIX. c. 1.

cendi genus sequatur, quâ fide scribat, quibus virtutibus præditus sit, quid in sua professione possit. Atque sicuti multi modii salis comedendi sunt, quod dicitur, ut amicitiæ munus expleatur, & de amico prius deliberandum, quam cum ipso deliberes: Sic diu multumque experiundus tibi scriptor prius est, quam huic te experiundum committas. Quam prudentiam si interpretes & Critici nostri adhiberent, qui non unâ immortalitate contenti, qui de commentariis suis numerandis magis quam æstimandis soliciti singulis fere annis singulos scriptores in lucem propellunt: Næ tot editione hodie velut fungi non nascerentur, aut celerius quam asparagi coquerentur, næ in tanto earum proventu non esset quod de tanta sterilitate conquereremur, uti me in *Cogitationibus* meis *Variis* (*a*) jam olim conqueri memini.

Quod ad *Gellium* meum attinet, agedum replicemus. Hujus ego operis rationem ita mihi ab initio descripseram, ut justam *Noctium Atticarum* imaginem in quadam quasi tabula ante oculos quotidie haberem; quem in finem justum *Lexicon Gellianum*, quod singulas tam res quam dictiones una cum hypomnematis meis complecteretur, conscripseram. Quibus equidem hypomnematis has leges scripseram: *primum*, ut nemo, a quo forte dissentio, de modestiæ atque verecundiæ negligentia me me-

a. Part. II. Cogitat. III. p. 106. sq.

meritò accuset, ut suus nemini error exprobretur, ut aliud diligentiæ præmium nisi æquitas judicis & liberalis indulgentia non postuletur. *Deinde* in *Gellio* recensendo tantum abest ut hujus Codicis Msti aut illius editionis sive Gronovianæ sive alterius fidei me permittam, ut illud, quod ad stylum Gellianum quam proximè accedit, recipiam, quam judicii normam ex *Varrone* ipse mihi *Gellius* meus tradit. (*a*) Sic ex. gr. Gronovius aliivè me haud temere adduxerint, ut in Libro II. cap. XII. legam, *qui non alterutra parte sese adjunxerit*, quin malim, *Alterutræ Parti*; sicuti Gellius *Aliæ rei causa*, & *Nulli aliæ causæ obnoxia*, & similia more antiquo dixit. *Postea* ne imperiti medici instar morbos faciam, nunquam ingenio meo tantum indulgeo, ut voluptatis causâ quicquam præter necessitatem mutandum censeam. Sic ex. gr. Quando in Libro XX. Cap. 7. constanter legitur, *Membra & artus inopis debitoris BREVISSIMO laniatu distrahebantur*, ubi *Salmasius* legendum suspicatur, *Ferissimo*, ubi illustris, *Cornelius van Bynkershoek* (*b*) & Clarissimus *Heumannus* (*c*) non dubitant a Gellio relictum fuisse, *Sævissimo:* ego receptam lectionem retineo, quæ, si altius rem & locum inspexeris, nempe sectionem debitoris in brevissimas partes, earumque inter plures creditores

a. L. III. c. 3. *b*. Observat. Jur. Rom. Lib. I. c. 1. p. m. 7. *c*. Pœcil. T. I. L. 1. Epist. X. pag. 83.

tores divisionem, nihil planè monstri alit, nullâ emendatione eget.

Denique conjecturas nonnunquam, ubi usus fuerit, offero, sed sponte oblatas, non arcessitas. Sic in Libro II. c. XVII. pro, *Fœnoribus coopertus*, (quæ verba *Catoni* & *Sallustio* ibidem adscribuntur) non falli me puto, quando *Facinoribus* lego. Quam emendationem tum ipse *Sallustius* in Catil. c. XXIII. tum *Gellius* Lib. IV. c. XVII. mihi suadent approbantque. Sic in Libro XII. cap. II. ubi Chetegus *Ennio* dicitur *Flos delibatus populi*, (sive *populis*, quod in antiquissima editione Veneta 1472 aliisque huic proximis invenio) mihi legendum videtur *delibutus* potius, quàm quod non ita pridem V. C. *Isaacus Verburgius* ad Ciceronis Brutum cap. XV. reposuit, *delibratus*. Sic in Libro XV. cap. XIII. pro eo, quod ex duodecim Tabulis adducitur, NI. TESTIMONIUM. FARIATUR. haud absurdè, ut equidem opinor, mihi placet FACIATUR, qua forma passiva vetustissimos Romanorum usos fuisse nemo humanus ignorat. Sic denique in Libro XIX. cap. X. ubi interpretes fluctuant æstuantque circa corruptum hunc locum, *Fabri ædium ostendebant* (Cornelio Frontoni) *depictas in membranulis varias species balnearum; ex quibus quum elegisset unam formam speciemque* VERIS, — Gellius sine dubio scripsit VETERIS; quam suspicionem Codex minor Lugdunensis, in quo exstat VENERIS, mihi

mihi confirmat. Credibile enim eſt, fabros ædium inter varias ſpecies Frontoni & VETERES & NOVAS balnearum formas oſtendiſſe.

Poſtremò in locis Auctoris, extra omnem emendationis aleam poſitis, ingenium non fatigo, otium non profundo; quin potius fateor, quod Medici etiam peritiſſimi, quibus ægrotum quemque non ſanare minus turpe eſt,

Non intellecti nulla eſt curatio morbi. (a)

ſic de voce, QUOPSONES, in Libro VIII, lemmate XIII, quæ nullâ ingenii mei vi comprehendi poteſt, non magis quam de lingua incolarum Lunæ laboro.

Quod reliquum eſt, in ſcriptore meo enarrando ad brevitatem veterum, qui *Scholiaſtæ* vocantur, quam diligentiſſimè me conformo, in nulla operis parte, præterquam in Rerum & Verborum *Indice locupletiſſimo*, quem titulum pleræque editiones etiam apparatiſſimæ hodie mentiuntur, copioſus.

Dum hæc differuntur, eruditiſſimi multoque clariſſimi *Richardi Bentleji* HORATIUS ad me ex Hollandia affertur, fama jam diu mihi notus; qui aliquam diu cupidè pervolutatô, ad amicum converſus: Hic inquam, *Horatius* profecto BENTLEJI eſt, nam hic illum pro lubitu & auctoritate caſtigavit: Hic *Bentlejus* HORATII eſt; nam

a. Cornel. Gall. III. 55.

nam hic illius ingenium nimium quantum exercuit & discruciavit.

III.

De Recentiorum quarundam Inventionum commodis minus commodis.

EXterus quidam, natione Gallus, ut laudi & gratiæ gentis suæ velificaretur, fabulam, quam ipse ego postea in *Actis Eruditorum* Lipſ. A. MDCCXIV. pag. 195. sq. ex *Historia Academiæ Regiæ scientiarum* A. MDCCX depromtam me legere memini, in symposio quodam nobis narrabat. Ea hujusmodi erat: „ Vir illustris *Bonnius*, Præses „ in curia rationum Fisci Montepessulana & „ Academicus Honorarius Societatis Regiæ „ Montepessulanæ, primus observaverat, „ araneas nere sericum, atque inde tibialia & „ Chirothecas A. MDCCIX fieri curaverat. „ Hic Parisios ad Academiam Regiam Chi„ rothecas miserat cum Domino *de Reaumur*, „ ut inquireret, numqua utilitas publica ex „ hoc invento redundare posset, negotium da„ retur. Quid fit? Primum justæ aranearum „ copiæ justum nutrimentum circumspicitur: „ deinde compertô, in Gallia hoc ex muscis „ non dari, item araneas lumbricis vesci, at„ que succo in apicibus pennarum recenter „ crescentium & ex volatilium alis evulsarum

quam

„ quam maxime delectari ; (quod pabulum
„ omnium optimum judicatur) ad hæc mi-
„ nores esse Galliæ araneas, quam ut offici-
„ næ erigendæ sufficiant, nisi numero sint
„ 663552 I, denique non omnis spes, abjicien-
„ da censetur, antequam in araneis America-
„ nis, quæ Europæis multò grandiores sunt,
„ experimentum capiatur. &c.

Quod quidem inventum, quod consilium exterô illô immane quam magnificis verbis in majus extollente, quum plerique nostrum humanitatis causâ subassentientibus humeris subblandirentur, ego, salvâ, ut spero, humanitate, veniam audaciæ præfatus: Næ, inquam, vir Nobilissime, si *Heliogabalus* viveret, maximopere procul dubio hoc spectaculo gauderet, quippe qui, ut auctor est *Lampridius*, *(a) servos jussit millena pondo aranearum sibi deferre, propositò præmiò, collegisseque dicitur decem millia pondo aranearum*, —— de cetero hoc, sicuti pleraque seculi nostri inventa, araneosum mihi videtur.

Inde disceptatio de *Inventionum Antiquarum* & *Recentiorum* præstantia inter nos cooritur; quarum ille *has* exaggerare, ego *illas* verecundè præferre non dubitabam, oppositis recentiori memoriæ sagacissimis illis *Ægyptiis*, *Chaldæis*, aliisque, oppositis ex antiquitate magistris, quos hodieque in *Architectura*, in *Geometria*, & singulis fere disciplinis sequimur,

a. In vita Heliogabali c. XXVI.

mur, oppositis artificibus veterum, quos nostri minimè assequuntur, oppositis denique innumeris veterum tam in pace quam in bello, tam in civitate quam in vita domestica inventis, quæ partim per inertiam posteritatis perierunt, partim manca supersunt, nunquam forte pristinæ integritati reddenda.

Ad hæc Gallus, acerrimus posteritatis vindex; ut laudes priscorum obscuraret, nobilissima miracula, sicuti vocabat, mihi objectat *Typographiam*, & *Pulverem Pyrium* una cum suà *Bombarda*, quibus paucissima veteris humanæ sollertiæ merita in rem publicam comparari oportere putabat.

Tum vero ego, Erras, inquam, Vir Nob. si ingenia seculi nostri ut effeta, si nares ut obesas a me contemni credis. Deus meliorem mentem mihi! Non temporum nostrorum naturam, sed curam accuso: accuso ignaviam nepotum, qui, nisi majores jam antè sedulo sevissent, vix poma hodie, quæ carperent, haberent, qui, nisi patrimonium ab his jam olim relictum fuisset, in re tenui viverent: accuso intempestivam nonnullorum diligentiam, qui nova quædam futilia sectantur, vetera utilia, sed vel deperdita vel imperfecta, negligunt, secus quam *Seneca* præcipit: (*a*) *Veneror inventa sapientiæ, inventoresque adire tanquam multorum hereditatem juvat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt.* Sed

a. Epist. LXIV.

Sed agamus bonum patremfamiliæ: faciamus ampliora, quæ accepimus. Major iſta hereditas a me ad poſteros tranſeat. Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit: nec ulli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi. Sed etiam ſi omnia a veteribus inventa ſunt, hoc ſemper novum erit, uſus, & inventorum ab aliis ſcientia & diſpoſitio. — Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt: ſuſpiciendi tamen ſunt, & ritu deorum colendi. — Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eamdem illis præceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Ceterum ut ad TYPOGRAPHIÆ Artem, quam memoras, V. N. veniam, licet ad gloriam noſtri ſeculi non pertineat, patere, quæſo, ſententiam meam breviter exponi. Egò profecto (quod tamen non ſine multo *Joannis Gutenbergi* alteriusve auctoris honore dixerim) tanti hoc beneficium non facio, quin potius ad *Recentiorum Inventionum Commoda minus commoda* referam, quin mirer, *Argentinenſes, Moguntinos* & Belgas *Harlemenſes* de hujus natali ſolo haud aliter ac ſeptem Græciæ civitates de Patria Homeri certare; ut nihil dicam de *Sinenſibus*, quos alii primos artis Typographicæ auctores prædicant. Sane, ut ego quidem opinor, Turcæ Typographiam prudentiſſimè caverunt usque ad annum proximè elapſum MDCCXXIX, qui *Hegiræ* eſt MCXLI, quo hanc artem Conſtantinopolitani primum exercere cœperunt, ope & au-

ctoritate Principis, qui secundum imperii locum tenet, adjuti, atque Magni Imperatoris Ottomannici suffragiô præditi, eâ tamen lege (lege sanè sapientissimâ!) ut nullum librum, qui sacra, qui doctrinam Muhamedanam attingit, typis excudere jus atque potestas sit. Quam cautionem si principes Christiani jam ab incunabulis Typographiæ adhibuissent, nemini dubium esse potest, quin rès ecclesiastica multò constantius se habuisset, multò pacatius floruisset. Quid vero? Typographiæ pestilentissimus hic fructus est, ut bella ex bellis serantur, ut tot impii & nefarii libri, tot impura convitia, tot injuriæ litteris consignatæ, nisi cum ipso mundo deleri nequeant, ut *Servetus* aliquis, *Spinosa*, & horum similes nullô neque incendiô neque naufragiô exstingui queant. Quapropter sæpius gaudere soleo, nascenti Ecclesiæ Christianæ artem istam ignotam fuisse, ut pleraque id ætatis monstra scriptorum bibliothecis nostris ignota sint, opportunè e medio sublata.

Deinde Typographiæ improbum hoc munus est, ut nostri temporis ingenia velut in diluvio quodam librario fluctuent & prope mergantur, eò pleraque inertiora, quò intemperatiore supellectilis copia circumfluunt & abundant. Quapropter felicia prædico antiqua secula, eaque redire sæpius cupio, ut, ministeriô librariorum veterum revocatô, jam suum bonis & libris & scriptoribus pretium postliminio redeat, veteresque illi *Aristoteles*, *Plutarchi*,

tarchi, *Varrones*, *Plinii*, inexhaustæ solleritiæ specimina, quasi in vitam redeant. Taceo de immensa pecunia, quam typographia nostra abligurit, ex quo mores nostri eò prolapsi sunt; ut laudi hodie sit, quod *Plinius* (*a*) *Silio* vitio vertit, *Erat φιλόκαλος usque ad emacitatis reprehensionem*; Ut turpe fere sit homini studioso patrimonium in studiosas voluptates non effundere, quæ tot sæpe rei familiaris damna, tot pupillorum querelas, imo contemtum & fastidium bonis litteris atque scriptoribus in auctione publica relinquunt.

Quid de inventiuncula *Pulveris Pyrii* atque *Bombardæ?* Certe ex quo hæc artis bellicæ instrumenta adoleverunt, jam ipsa fere ars bellica obsolevit, jam nullus fere virtuti & prudentiæ locus reliquus est. Audi, quæso, *Polydorum Vergilium* de Rer. Inventoribus: (*b*) *Ad hominum perniciem inventum est novitium illud inprimis*, *quod* Bombardam *vocant: quo post hominum memoriam nihil terribilius ab humano ingenio excogitari potuit*, ——, *item:* (*c*) *Illud tormentum æneum*, *quod* Bombardam *vocant*, *omni admiratione exsecrationeque dignum*, *ad perniciem hominum excogitatum*, *haud adduci possum*, *ut humanum ingenium invenisse credam*, *sed mehercule potius malum quempiam dæmonem mortalibus monstrasse puto*, *ut inter se non modo armis*, *verum etiam fulmini-*

 bus

a. Lib. III. Epist. VII. 7. *b*. L. II. c. XI. *c*. L. III. c. XVIII.

bus pugnarent, ——. De *Pulvere Pyrio* parum abest quin ſentiam, quod de *igne Græco* *Conſtantinus*, qui, uſu ejus ab Angelo ſibi monſtratô, diris eos, qui aliis gentibus eum traderent, devoviſſè perhibetur. (*a*)

Tandem adverſarius, ut ſequiorum temporum atque ingeniorum cauſam, quam agendam ſuſceperat, glorioſe teneret, *Pyxidem*, quam vocant, *Nauticam* mihi ob oculos ponit, remotioribus ſeculis prorſus, ut putabat, incognitam. Ego vero ad *Levinum Lemnium* aliosque, qui inæſtimabile hoc inventum jam temporibus Salomonis uſu receptum fuiſſe non dubitant, qui ab antiquiſſimis ſinenſibus originem ejus repetunt, hominem delegabam, Item ad *Thaletem*, qui ναυτικὴν Ἀςρολογίαμ ſcripſiſſe fertur apud *Laërtium* (*b*) & τῆς μαγνήτιδος meminit apud eumdem. (*c*)

I V.

Conciuncula Philoſophica ſuper Gentilium AMORE in DEVM & PROXIMVM.

JUvenis ego duorum & viginti annorum ex ſuaviſſima & liberaliſſima urbe *Nicopia* Fal-

a. V. Conſtantin. Porphyrogenetus de Adminiſtrando Imperio Cap. XIII. p. 27. *b*. Lib. I, §. 23. p. m. 15. *c*. L. Cit. §. 24.

Falstrorum, cujus in gremio tenera mea ætas & studia educata fuerant, DEO jubente, (Ao. 1712 mense Augustô) demigraturus, ut testatum apud animos civium relinquerem, quam gratâ & fideli memoriâ horum benevolentiam, quâ me puerum, quâ me Magistratum postea Scholæ minorem comprehenderant, retinerem, publicè verba ad populum ex suggesto feceram, dicendi materiam præbente, ut tempus ferebat, *Magnô illô Præceptô utrôque, ex quo Lex & Prophetæ pendent,* DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA, ET EX TOTIS VIRIBUS TUIS, ET EX TOTA COGITATIONE TUA, ET PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. (*a*) Interjectô deinde aliquot annorum spatiô, charta, in quam oratio illa mea conjecta fuerat, negligentius custodita nescio quô fatô in malevoli cujusdam hominis manus inciderat, qui inusitatum quoddam & juvenile portentum in doctrina mea se reperisse ratus, (repererat autem quod pueri in faba) iniquis me sermonibus clam differre haud cessabat, quia hanc sententiam incautius, ut ille prædicabat, pronuntiaveram: *Sanè si ex divinissimi hujus utriusque Præcepti observantia verus DEI cultus æstimandus sit, jam Judæos a melioribus & sapientioribus Gentilibus vinci nemini dubium esse*

 po-

a. Luk. X. 27.

potest, qui horum virtutes cognitas atque perspectas habet. His, inquam, verbis offensus æmulus, invidiam nomini meo facere omnibus modis conabatur; cujus quidem depellendæ & semidocti vulgi erudiendi causâ amicô quôpiam suadente, ut molli brachiô petulantem adversarii inscitiam perstringerem, *Conciunculam Philosophicam super Gentilium* AMORE *in* DEUM & PROXIMUM conscripsi, cujus hoc exemplum est:

„ Quum nullum ego verbum magis amo, „ quàm hoc ipsum AMO: quum nullum „ majori mihi odio est quam hoc ipsum „ ODIUM: quum nullius cogitationis suavitate libentius fruor, quam quæ animum „ meum de Officio Caritatis humanæ admonet: mirum vobis, *Auditores*, videri nequit, si eo in primis sermone gaudeo, quô „ Salvatorem, quô Prophetas & Apostolos, „ quô ipsum denique supremum generis humani legislatorem quam maxime gaudere „ video, quo Vos pariter gaudere opto. opto, inquam; hoc præcipue tempore, quo „ ecclesia & societas nostra suis bellis civilibus tam miserè affligitur, laceratur, atteritur: quô ferina quædam natura in animos humanos migrasse videtur: quô nos „ Christiani Judæis antiquis ferè pares, gentilibus profecto multo deteriores sumus. „ *Gentilibus?* dura loquor, offendo aures „ vestras, *Auditores*, qui jam olim pueri nomen gentilium tanquam lemurum horrere

„ con-

„ condocefacti eftis, qui ad horum laudes
„ tanquam ad res novas & prodigio fimiles
„ obftupefcitis, qui nihil præclari aut hu-
„ mani ex his fcilicet barbaris addifci poffe
„ judicatis. Vos vero, ut opinionis veftræ
„ vos pudeat, ut pia Gentilium exempla pe-
„ ctus veftrum effodiant, frigidum animi
„ veftri in DEUM & PROXIMUM amo-
„ rem vobis tacitè exprobratura, placidè,
„ quæfo, aufcultate.

„ Quodfi eò vecordiæ procederem, ut
„ Gentilibus nullum fpurcius, nullum inhu-
„ manius, nullum protervius animal effe do-
„ cerem, ficuti ex noftratibus quifpiam nuper
„ libellum de *Certiffima Gentilium Exhæreda-*
„ *tione cœlefti* edidit, jam non fabulam narra-
„ re Vobis viderer, jam infani hominis effe
„ crederetis, in fententiam meam non con-
„ currere: Quodfi vero illos ut humanitatis
„ pietatifque in DEUM & PROXIMUM
„ magiftros Vobis propofuerim, Judæis ve-
„ ritatem divinam edoctis oppofuerim imo
„ antepofuerim, jam abeffe non poteft, quin
„ exclametis, quod *Athenienfes* illi, (a) Καινὴ
„ διδαχή! Ξενίζοντα γάρ τινα εἰσφέρεις εἰς τὰς
„ ἀκοὰς ἡμῶν. *Nova doctrina! Peregrina enim*
„ *quædam ingeris auribus noftris.* VOS vero
„ mementote, hujus doctrinæ fuaforem pri-
„ mum approbatoremque effe ipfum Salvato-
„ rem, qui in parabola de *Samaritano* & *Le-*

 „ *vita,*

(a) Act. Apoft. XVII. 19. fq.

„ *vita*, *hujus* immitem animum & inofficio-
„ ſam indolem haud obſcurè reprehendit, *il-*
„ *lius* peramantem & perofficioſam miſeri-
„ cordiam pluribus verbis ornat & commen-
„ dat. Accedit, quòd inclementem Judæo-
„ rum in exteros malevolentiam gentiles ve-
„ teres conſtanter accuſant; ſicuti *Juvenalis*
„ (*a*) præter alia conqueritur, illos

„ *Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti*,
„ *Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos*,

„ contrà quàm Philoſophi & legum latores
„ ethnici præcipiunt: (*b*) ſicuti *Tacitus* (*c*)
„ Judæorum *adverſus omnes alios hoſtile odium*
„ ſeriò criminatur; ut alia teſtimonia tacitus
„ prætercam. Ceterum ut ad ipſum rei gra-
„ viſſimæ, de qua dicere propoſui, caput
„ veniam, non ineptè, ut opinor, in duas
„ illa *Tabulas* diſpeſcitur, quarum altera *Gen-*
„ *tilium in* DEUM, altera *in* PROXI-
„ MUM *Amoris* imaginem quandam referat
„ & complectatur. Priorem ſi ſpectetis, en
„ luculenta Pietatis ethnicæ in DEUM veſti-
„ gia! ſcilicet *Qui DEUM amat, DEO*
„ *obedit:* Vos vero animum ad præclaram
„ illam *Socratis* vocem apud *Platonem* (*d*) at-
„ tendite, Ἐγὼ ὑμᾶς ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ἀσπά-
„ ζομαι.

a. Sat. XIV. 103. *b*. V. Pufendorf. de J. N. & G. Lib. III. c. III. §. 4. p. m. 238. *c*. Hiſtor. V. 5, 2. *d*. In Apologia Socratis p. m. 364.

„ ζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ τῷ Θεῷ
„ μᾶλλον ἢ ὑμῖν, —— *Vos equidem, o Viri*
„ *Athenienses, diligo atque amo, DEO tamen*
„ *magis pareo quam vobis,* —— prorsus, ut
„ *Apostolus* ait, (*a*) πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλ-
„ λον ἢ ἀνθρώποις, *Deo magis quam hominibus*
„ *obedire oportet.* Ut nihil dicam de *Epicteto*,
„ qui πείθεσθαι τῷ Θεῷ suadet; (*b*) nihil de
„ *Seneca*, qui *in animo* nos *habere* jubet *vetus*
„ *illud præceptum*, DEUM SEQUERE,
„ atque ex intervallo addit, DEO *parere*, *li-*
„ *bertas est.* (*c*) Deinde *Qui DEUM amat*,
„ *DEUM haud temere offendit :* Vos vero
„ *Socratem* porro apud *Platonem* (*d*) audite,
„ qui ante omnia hominem dehortatur, εἰς
„ Θεὸν καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἐξαμαρτάνειν, *in*
„ DEUM *aut verbo aut opere peccare.* quò re-
„ feramus illud ex oratione *Metelli* apud *Gel-*
„ *lium*, (*e*) *Di immortales plurimum possunt*,
„ *sed non plus velle nobis debent quam parentes.*
„ *At parentes, si pergimus errare, suis bonis*
„ *nos exhæredant. Quid ergo nos divinitus ex-*
„ *spectemus, nisi errationibus finem faciamus?*
„ *isdem* (sive, *bis demum*) *Deos propitios esse*
„ *æquum est, qui sibi adversarii non sunt.*
„ Postea *Qui* DEUM *amat*, DEUM *timet :*
„ Vos vero mentes advertite ad monitum il-

B 5 „ lud

a. Act. V. 29. *b*. Enchirid. c. 38. *c*. de Vita Beata cap. XV. *d*. in Alcibiad. II. p. m. 46. *e*. I. 6. extr.

„ lud morientis *Cyri* apud *Xenophontem:* (*a*) „ Θεὺς φοβύμενοι μήτε ἀσεβὲς μηδὲν, μήτε ἀνόσιον, μήτε ποιήσητε, μήτε βουλεύσητε, *Deos* „ *timete*, (ô Filii) *ut nihil impii*, *nihil nefarii* „ *neque committatis*, *neque deliberetis.* Me„ mentote autem, *Auditores*, DEUM ex ſen„ tentia Philoſophorum non ſerviliter ut ty„ rannum metui, ſed cum amore ut patrem „ timeri oportere; in quam ſententiam acci„ piendum illud *Senecæ* eſt, (*b*) DEUM *ne*„ *mo ſanus timet: Furor enim eſt metuere ſalu*„ *taria; nec quiſquam amat, quem timet.* Ut „ taceam de *Plutarcho*, qui habitum & natu„ ram *Timoris* DEI in libello περὶ Δεισιδαιμο„ νίας (*c*) item adverſus *Epicurum* (*d*) non in„ ſcitè exponit. Tum *Qui* DEUM *amat*, „ DEI *deſiderio tenetur*, *humana contemnit*, „ *cœleſtia ſpectat:* Vos vero perpendite effa„ tum illud *Plotini:* (*e*) *Quoniam animus eſt* „ *ex* DEO, *neceſſariò amat illum.* — *Ani*„ *mus in naturali habitu conſtitutus amat* „ DEUM, DEO *commiſceri deſiderans*, *qua*„ *ſi pulchram virginitatem honeſtô affectans* „ *amore.* Item: *Quamobrem hinc emigrare* „ *properandum eſt*, *dolendumque nobis*, *quod* „ *aliqua hic ex parte alligati vivamus*, *ut toto* „ *penitus animo complectamur* DEUM, *nihil*„ *que reliqui ſit in nobis*, *quô non pariter attin*„ *ga-*

a. de Inſtit. Cyri L. VIII. p. m. 187. *b.* L. IV. de Benef. c. 19. princ. *c.* pag. 166. *d.* pag. 1101. *e.* L. IX. c. 9.

„ *gamus* DEUM. Sed & audite *Africanum*
„ apud *Ciceronem:* (*a*) *Quando hæc est vita*,
„ (inter beatos) *quid moror in terris? quin huc*
„ *ad vos venire propero? — Quæso, quo usque hu-*
„ *mi defixa tua mens erit?* (ô Scipio) — *Sentio*,
„ *te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac*
„ *domum: quæ si tibi parva* (*ut est*) *ita videtur*;
„ *hæc cœlestia semper spectato, illa humana con-*
„ *temnito.* Denique *Qui* DEUM *amat, amo-*
„ *rem & beneficia* DEI *gratâ mente & memo-*
„ *riâ prosequitur:* Hinc illæ Gentilium sup-
„ plicationes, Epulæ, sacrificia, &c. Hinc
„ illa *Senecæ* exhortatio, (*b*) ut alias aliorum
„ omittam: *Quisvis es iniquus æstimator sortis*
„ *humanæ, cogita, quanta nobis tribuerit pa-*
„ *rens noster,* —— *Bene æstimatâ naturæ in-*
„ *dulgentiâ, confitearis necesse est, in deliciis te*
„ *illi fuisse.* Postremò *Qui* DEUM *amat*,
„ in providentia DEI acquiescit: scilicet,
„ hic cum *Socrate*, (*c*) quia DEUS *demum*
„ *scit, quid unicuique sit utile, totum se ejus*
„ *arbitrio permittit:* hic cum DEO in hac
„ vita, *ὡς ἐν συμποσίῳ, tanquam in convivio*
„ versatur, (*d*) *si quid circumferendo ad se per-*
„ *venerit, porrecta manu partem modestè ca-*
„ *piens, appetitum longè non extendens, sed ex-*
„ *pectans, dum ad se perlatum fuerit:* hic, *ni-*
„ *hil non ad salutem nostram fieri*, cum *Seneca*

„ (*a*) per-

a. In Somnio Scip. Cap. 3, 4, & 6. *b.* de Benef. L. II. c. 29. *c.* Vid. Valer. Max. VII. 2. ext. 1. *d.* Vid. Epictet. Enchir. c. XXI.

„ (a) perſuaſus, in utraque fortuna conſtan-„ tem animi æquitatem retinet, omni corpo-„ ris curâ abjectâ: quibus quidem virtutibus „ pleroſque Philoſophorum veterum excel-„ luiſſe, præſtantiſſimæ horum & vivendi & „ docendi rationes ſatis ſuperque teſtantur.

„ Pergamus ad alteram *Tabulam*, in qua, „ omiſſis notioribus, remotiora tantùm quæ-„ dam *Caritatis ethnicæ* teſtimonia, quæ „ præter opinionem animos & oculos veſtros „ in ſe convertant, delineare lubet. Notum „ eſt vobis, Auditores, pervulgatum illud „ verbum, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne* „ *feceris*; finitimum planè divino noſtro, „ DILIGE PROXIMUM SICUT TE „ IPSUM. Nec injucundam auribus veſtris „ futuram ſpero *Lampridii* ſuper hoc verbo „ narratiunculam in vita Alexandri Severi; „ (b) *ſi quis de via in alicujus poſſeſſionem de-*„ *flexiſſet, pro qualitate loci, aut fuſtibus ſub-*„ *jiciebatur in conſpectu Alexandri, aut virgis,* „ *aut condemnationi, aut, ſi hæc omnia tranſi-*„ *ret dignitas hominis, graviſſimis contumeliis,* „ *cùm diceret*, Viſne hoc in agro tuo fieri, „ quod alteri facis? *Clamabatque ſæpius, quod* „ *a quibuſdam ſive Judæis ſive Chriſtianis au-*„ *dierat & tenebat, idque per præconem, cum* „ *aliquem emendaret, dici jubebat*, Quod tibi „ fieri non vis, alteri ne feceris: *Quam ſen-*„ *tentiam uſque adeo dilexit, ut & in Palatio*

„ &

a Lib. II. de Ira, c. XXVII. b Cap. LI.

„ *& in publicis operibus præscribi juberet.* Vos
„ vero dictum illud *Severi* ita forte interpre-
„ temini, ut nemini homini injuriam factum
„ iri oporteat, quam legem natura omnium
„ animis insculpsit: Vos in eadem procul du-
„ bio sententia estis, quam *Tertullianus* scrip-
„ tam reliquit, (*a*) *Amicos diligere, omnium*
„ *est, inimicos autem, solorum Christianorum.*
„ Erras, ô *Tertulliane*, erratis, Vos *Audito-*
„ *res:* etiam inimicos diligi jubent magistri
„ gentilium, quasi in ludo Salvatoris edocti,
„ quasi auriti testes hujus præcepti apud *Mat-*
„ *thæum*, (*b*) Ἐγὼ λέγω ὑμῖν, Ἀγαπᾶτε τὺς
„ ἐχθρὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τὺς καταρωμένυς ὑμᾶς,
„ καλῶς ποιεῖτε τὺς μισῦντας ὑμᾶς, — *Ego dico*
„ *vobis, Diligite inimicos vestros, benedicite iis,*
„ *qui devovent vos, benefacite iis, qui oderunt vos,*
„ Auscultate, quæso, magnum illum Philoso-
„ phum & Imperatorem *Marcum Antoninum:*
„ (*c*) Ἴδιον ἀνθρώπυ φιλεῖν καὶ τὺς πταίοντας, —
„ *Hominis est, etiam eos qui offendunt diligere,* —
„ Cur? ὅτι μοι συγγενὴς, καὶ θείας ἀπομοίρας
„ μέτοχος, — ὅτι γεγόναμεν πρὸς συνεργίαν,
„ ὡς πόδες, ὡς χεῖρες, ὡς βλέφαρα, — *quod*
„ *congener*, inquit, *mihi sit, & portionis di-*
„ *vinæ mecum particeps,* — *quod ad mutuas*
„ *operas nati sumus, sicuti pedes, manus, pal-*
„ *pebræ,* — (*d*) Admiratione quadam vos
„ affici video, Auditores: desinite incredibi-
„ lem

a Ad Scapulam cap. I. *b* V. 44. *c* Lib. VII. § 22. p. m. 61. *d* Id. L. II, § 7. p. 9.

„ lem hunc φιλανθρωπίας ſenſum in gentili-
„ bus mirari; ſcilicet horum optimus quisque
„ & ſapientiſſimus factorum ſuorum rationes
„ ad ſimilitudinem DEI, maximè ad benefi-
„ centiæ clementiæque divinæ imitationem
„ revocare ſolebat, uti pluribus jam ante in
„ *Sermonum* meorum *Parte I.* (*a*) docui: Vos
„ vero, obſecro, oculos & mentem iterum
„ ad *Matthæum* (*b*) *de diligendo inimico* refer-
„ te, ubi Salvator e veſtigio hanc rationem
„ ſubjicit, Ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν ἐν
„ οὐρανοῖς, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πο-
„ νηροὺς καὶ ἀγαθοὺς; *ut ſitis filii Patris veſtri,*
„ *qui eſt in cœlis: facit enim ut Sol ſuus exo-*
„ *riatur ſuper malos ac bonos.* Cui quidem
„ dicto perpendite, quæſo, quam prope ac-
„ cedat illud *Senecæ*, (*c*) *Si Deos imitaris, da*
„ *& ingratis beneficia; nam & ſceleratis Sol*
„ *oritur.*

„ His adeo, quæ breviter dixi, ſeriò &
„ diligenter æſtimatis, futurum ſperamus,
„ AUDITORES, ut in gratiam quandam
„ cum melioribus Paganis redeatis: Ut ino-
„ pinatis horum factis atque dictis excitati
„ turpe putetis, ſicuti eſt, *Amore in DEUM*
„ ab his vinci, aut majore ſoli quàm cœli
„ ſtudio teneri: ut, ſi quam ab homine inju-
„ riam acceperitis, oblivisci malitis quàm
„ ulciſci: ut vinculum illud ſocietatis, quô
„ natu-

a Serm. XX. p. 78. ſq. *b* Loc. cit. *c* de Benef. L. IV, c. 26, princ.

„ natura nos copulavit, quô gentes etiam fe-
„ rarum tam arctè contineri videmus, a fe-
„ ditiofiffimis illis generis humani Catilinis,
„ *Invidia*, *Odio*, *Difcordia*, *Malevolentia*,
„ *Maledicentia*, *Crudelitate*, *Injuftitia*, *Per-*
„ *fidia*, detrimenti quidquam capere veftrâ
„ culpâ non patiamini: unô verbô, ut verè
„ beatam vitæ humanæ fuavitatem honeftiffi-
„ ma atque officiofiffimâ caritate metiamini,
„ admonente Vos *Photiô*, (*a*) cujus verbis
„ conciunculam noftram concludere lubet:
„ Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σȣ ὡς σεαυτόν. Καὶ
„ τί ταύτης ἂν εἴη λυσιτελέςερον ἢ ἀγαθοειδέ-
„ ςερον; ἢ τὸν βίον συνέχειν ἐπιτηδειότερον; ἢ τὸ
„ κοινωνικὸν καὶ ἥμερον σύγκροτεῖν τῆς φύσεως,
„ ὡς τὸ ἀγαπᾷν τὸν πλησιὸν ὡς ἑαυτὸν; Καὶ ἔρ-
„ γεν μὲν τῆς αὐτῆς εἰδέναι χειρὸς, φύσεως δὲ
„ μιᾶς; Διὰ τῆς αὐτῆς δὲ γενέσεως εἰς φῶς προ-
„ ελθόντα, καὶ διὰ τῆς αὐτῆς ὁδȣ τὸν βίον ἀπο-
„ λιμπάνοντα, καὶ τὴν μὲν περιμένειν τὸν αὐτὸν,
„ καὶ τῶν βεβιωμένων ἐξετασὴν, καὶ πρόγε τȣ-
„ των μηδὲν ἀνέχεσθαι πλημμελεῖν εἰς τὸν πέ-
„ λας, ὧν ȣδεὶς ἑαυτὸν (five quod mavult Clar.
„ *Wolfius*, ὧν ȣδὲν εἰς ἑαυτὸν) πλημμελῶν ἂν
„ ὀφθείη, τὰ κάλλιςα δὲ καὶ σωτήρια καὶ συ-
„ νέυχεσθαι καὶ ᾧ παροικεῖς συγκαταπράττεσθαι·
„ τȣτο γάρ ἐςιν ὁ τῆς ἀγάπης λόγος. *Diliges*
„ *proximum tuum*, *ficut te ipfum: eô vero ec-*
„ *quid utilius aut melius eft? ecquid ad vitam*
„ *pro-*

a L. IV. contra Manichæos §. XXVI, pag. m. 231. edit. Wolf.

„ *producendam, aut ad ſocialitatem manſuetu-*
„ *dinemque humanæ naturæ provehendam ma-*
„ *gis idoneum, quàm diligere proximum, ut ſe*
„ *ipſum? & noſſe ſe ejuſdem manus opificium,*
„ *ejuſdem naturæ, ac ejuſdem generationis be-*
„ *neficio in lucem editum, eâdem quoque viâ*
„ *ex hac vita abiturum, poſtquàm immineat*
„ *unus idemque rerum in vita geſtarum arbiter*
„ *& judex; & ante omnia ſtatuere, nihil in*
„ *proximum ſuſcipiendum eſſe eorum, quorum*
„ *nullum quiſquam in ſe ipſum unquam admiſe-*
„ *rit: optima verò quæque & ſalutaria tum*
„ *precari, tum illi, cui vicinus es, afferre.*
„ *Ea enim eſt amoris ratio.* Quæ quidem
„ exhortatio ſi minus divina vobis viſa fuerit,
„ jam *Paulum* audite ad Romanos; (a) ὁ ἀ-
„ γαπῶν τὸν ἕτερον, νόμον πεπλήρωκε, *Qui di-*
„ *ligit alterum, Legem implevit.* Item ad
„ Timotheum: (b) Τὸ τέλος τῆς παραγγελίας
„ ἐϛιν ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας, καὶ συνειδή-
„ σεως ἀγαθῆς, καὶ πίϛεως ἀνυποκρίτȣ, *Finis*
„ *mandati eſt caritas ex puro corde, & con-*
„ *ſcientia bona, & fide non ſimulata.*

V. *De*

a. XIII, 8 & 10. b I, 1, 5.

V.

De Barbara Seculi nostri Eloquentia.

HOnestus quispiam nec minus lautus popularis meus in extraneo quodam foro, ubi judices & advocati sunt *Fabii Cunctatores*, bellum jam perdiuturnum cum perfidioso quodam hæreditatis suæ interceptore gerebat. Hic, sarcinâ chartarum abs Advocato aliquando acceptâ, (ut verbosa esse solent actionum forensium volumina) non ita multo post ad me venit, de sua fortuna apud me deplorat, copias suas ab administratore rerum suarum indies atteri queritur. Ad hæc pueritiam suam, quæ nullam liberalis doctrinæ partem attigerat, ut ipse jam turpiter Latinè etiam nesciret, seriò accusat. Tum ego: Dic sodes, Quò tibi peritiam, quò usum Sermonis Latini, cujus quidem causâ, ut mihi videtur, non est quod manum vertas? At ille: Imo vero, inquit, nisi hic scitu mihi opus esset, hodie interpellator ego tibi non essem.

Inter hæc bibliothecam (onerosam illam Actionis molem puto) ab Advocato suo sibi missam e sinu profert, Latina quædam loca, pro ambitioso Causidicorum Germanorum more inculcata, mihi monstrat, interpretis officium a me comiter expetit. Ego vero omnia potius amici causa fecissem, si hoc munus defugere potuissem. Quid enim? Latinam,

qua Advocati utuntur, dictionem jam præcognitam habebam: non latebat me, hos barbaris & adulterinis verbis delectari, quasi nunquam gloriosius quàm ex formula *Obscurorum Virorum* scripturos: ingenio meo negotium a præsenti stilo forensi futurum præmetuebam. Neque vero mea me formido fefellit: plene ambagibus obscurissimis omnia erant: quot voces, tot fere vitia, omnium, quæ monstra dicuntur, monstrosissima, in quibus interpretandis haud aliter ac *Cantherius in fossa* (quod rustico proverbio dicitur apud *Livium*,) (*a*) hærebam, pudore confusus, consilii ambiguus, mihi *Non Liquere* fateri coactus. Ex innumeris præstigiosi Advocati nostri ridiculis unum memorare lubet, SCOTARE, quod quidem tenebricosum verbum a Græco *Σκότος*, *Tenebræ*, initio deducendum tacitè mecum cogitabam, postea idem esse quod Danorum, *at Skiöde*, a certo quodam homine accepi.

Vix pedem porta mea consultor extulerat, cum amici complures litterati succederent, quibus ego recentem fabulam narrabam. Inde cum *Barbara Seculi nostri Eloquentia* certatim expostulatum est, utpote quæ a Romana veteri in tantum defecit, ut illa cum hac in gratiam nunquam reditura videatur. Atque primum quidem infacunda plerorumque *JCtorum* (nam ab his oratio cœperat) facundia agi-

a. L. XXIII. c. 47.

agitata, quos eum in modum scriptitare cernimus, ut Tullium, ut JCtos veteres, si orbi litterato redderentur, procul dubio pœniteret, aut Romanos fuisse, aut Romanam linguam, ne a posteritate corrumperetur, cum suis ipsorum funeribus non esse elatam. Neque vero, quò majori probro istis sua ignávia foret, prætermissa est laudabilis memoria clarissimorum, quos superior ætas tulit, JCtorum, *Gothofredi*, *Budæi*, *Cujacii*, *Brissonii*, *Rittershusii*, *Tiraquelli*, *Cunæi*, aliorumque complurium, qui insigni non Jurisprudentiæ tantum sed & Humanitatis atque Eloquentiæ laude florere præclarum duxerunt, uti præclaros JCtos decuit; nam ***quamvis Jurisprudentia altiorem spiret prudentiam, quàm eloquentia, verus tamen Orator non ingenii tantùm vi, sed & scientiæ amplitudine Legulejum antecellit***, quod ait JCtus egregius, *Diodorus Tuldenus*; (*a*) suffragante *Grotiò*, (*b*) cujus hæc verba sunt: ***Jurisconsulti munus virum magnum non faciet, nisi eloquentia accedat***; —

Deinde missis JCtis, faba in caput *Philosophorum* cuditur, eorumque rationes maximè dialecticæ, quas *artificiosis sed inutilibus aranearum telis* haud inscitè comparat *Aristo* ille *Chius*, (*c*) perpenduntur. Neque enim teneri

a. In Libro (quem *aureum* vocat *Morhofius* Polyh. L. II. c. I, n. 36.) de Cognitione sui Lib. III. c. I.

b. In Epistola 179 ad Gallos. *c*. v. Laërt. L. VII, §. 161.

ri poteramus, quin nova & remota pleraque horum vocabula artis, five, ut illi fublimius vocant, *terminos technicos* cavillaremur, exemplô *Diogenis*, (a) cum *Platonem* de Ideis differentem, Τραπεζότητα καὶ Κυαθότητα, *Menfalitatem* & *Cyathitatem*, nominare audiret. Quam quidem ludicræ & lafcivæ novitatis Philofophicæ cavillationem feria poftmodo querimonia noftra de veræ Philofophiæ apud nos Danos neglectu fequuta eft. Scilicet iniquo animo ferebamus, Philofophorum noftratium plerofque omnes tantum difertos quofdam & patriæ inutiles fophiftas effe, qui tempus & ftudia juventutis Academicæ obfcuris & vanis acroafibus detinent, qui captionum dialecticarum laqueis Stoicè ftrepere gaudent, qui *Logicam* & *Metaphyficam*, quafi in his difciplinis, ceteroquin haud afpernandis, tota fapientiæ falus vertatur, quàm ftudiofiffimè docent, fanctioribus Philofophiæ partibus, *Morali* & *Naturali*, nihil quicquam penfi habitis, quas fapientiores Philofophi, præter dialecticos *Zenonem*, *Archedemum*, *Eudemum*, alios, *Dialecticæ* conftanter prætulerunt, nimirum alius *Philofophiam animali fimilem dixit, offibus quidem ac nervis Logicen, carnibus Ethicen, animæ Phyficen:* alius *Ovo; effe quippe externa Logicen, quæ poft hæc, Ethicen, intima vero Phyficen: &c.* (b) Has, inquam, graviores Philofophiæ doctrinas, & vitæ

a. Vid. Laërt. L. VI, § 53. b. Ibid. L. VII, § 40.

vitæ humanæ & rebus ſæpe patriæ ſaluberrimas, in auditoriis noſtris ſocordius negligi graviter moleſteque ferebamus, quaſi rectè & acutè Philoſophari Danis datum non eſſet, uti poſt malevolum *Moleswortbium* putat *Chriſtoph. Aug. Heumannus*, qui in Commentatione de *Ingenio Philoſophico*, (a) indigniſſimum ſuum de naturali noſtra Philoſophandi facultate his verbis teſtatum reliquit: „ Non eſt, „ ut POLONI, SUECI & DANI diu„ tius me detineant. Quamvis enim & apud „ illos litterarum ſtudia ſuos habeant ama„ ſios, quorum tamen numerus valde exi„ guus eſt, de quibus ſcripta alicujus pretii „ reperiuntur, ipſeque illorum aër multò aſ„ perior, cœlique plaga longè inclementior „ videtur, quam ut ad ſpiritus generandos „ Philoſophicos conducat, dum & hæ regio„ nes Philoſophorum indigenarum ſuorum „ numerum facile inire poſſunt. Ac quemad„ modum *Beroaldus* judicat *Poloniam* ſonare „ idem ac *Polemoniam*; ita de Danis & Sue„ cis dicendum erit, majora illos ſubinde ma„ nu forti quam felici ingenio perpetraſſe fa„ cinora." Quam quidem improbitatem eò minus indignabamur, quò diligentius eam Vir Cl. *Philippus Frid. Hane* in Commentatione pererudita de *Ingeniis Gentium Borealium Philoſophicis* nuper retuderat, nomenque

C 3 noſtrum

a. §. XXXVII. v. hujus Acta Philoſ. P. N, n. 1. p. 634. ſq.

noſtrum quam honeſtiſſimè vindicaverat.

Poſtea ad *Theologos* illos deventum eſt, qui, niſi ad ſe intelligendos ingenio opus ſit, minimè ingenioſi ſibi videntur, jam proinde in Volumine I, ***Sermone*** XXXV placidè & molliter a me admoniti. Opponebantur his Theologi Philologiæ laude Clariſſimi, quorum gloriam nulla unquam obſcuratura eſt oblivio, ***Caſtalio***, ***Petavius***, ***Brochmannus*** noſter, quos ***Bartholinus*** (*a*) commendat; item, qui ***Crenio*** (*b*) perbene præ ceteris Latinè loqui viſi ſunt, *Ægidius Hunnius*, ***Leonhardus Hütterus***, *Henricus Höpfnerus*, *Caſpar Finckius*, & *Jo. Quiſtorpius* ſenior. Atque eodem quidem tempore, quum malus obſcuritatis & barbariſmorum fructus in Theologia perſtringeretur, amicorum unus lepidam rem in Academia noſtra Hafnienſi A. 1653 regnante FRIDERICO III. geſtam nobis narrabat. (*c*)
„ Scilicet Vir Clar. *Jo. Zoega*, Log. & Me-
„ taph. Profeſſor, Diſputationi ſuæ hanc the-
„ ſin inſeruerat, ***Purgatorium Ens Rationis***
„ ***eſſe***, ut loquuntur Philoſophi. Quid ſit?
„ Legato primi ordinis Hiſpano, Hafniæ
„ tum degenti, comes erat ſacrificulus qui-
„ dam ***Godofredus***, acerrimus Sophiſta, qui
„ theſin Zoegianam oppugnaturus in Audi-
„ to-

a. De Libris legendis Diſſert. V. p. 158. *b.* Animadv. Phil. P. I. C. III. §. IV, p. 187, ſq. *c* Vid. Lud. *Holbergii* noſtri Deſcript. Dan. & Norv. Cap. V. p. 187.

„ torium præstituto tempore venit. Hic omni armorum Philosophicorum genere allato impressionem in Præsidem facit, cæsim punctim petit, etiam atque etiam urget, usque adeo, ut, quamvis Purgatorii causa vel ab infantissimo adversario oratore sibi metuat, nihilo minus Hispanus iste Protagoras jam superior esse videretur. Noster itaque hoc pacto ad incitas fere redactus, quum aliam salutis viam non videret, iisdem, quibus Hispanus, machinis artificiisque usus, ut ictum commodè declinet, distinctionem inter *Archipodialiter* & *Reflexivè* repente comminiscitur: quâ fuligine ob oculos *Godofredi* jactâ, quam hic jam cæcus & mutus obstupesceret, consurrectum est, finis dicendi factus est, & Hispanus *archipodialiter* oppressus, *reflexivè* elusus.

Denique *Medicis*, litterarum humaniorum expertibus, eloquentissimi ex ordine suo Philologi ad imitandum ob oculos propositi sunt, ex antiquis *Cornelius Celsus*, (hic tamen Medicinam non exercuit) *scriptor Latinissimus*; (*a*) ex recentioribus vel soli Dani, *Io. Rhodius*, *Th. Bartholinus*, *Olaus Wormius* uterque, avus & nepos, *Christianus Ostenfeld*, *Ol. Borrichius*, Philologorum sui ævi facile princeps.

 Hæc

a. Vid. Boecler. Bibliogr. Crit. Cap. XLVIII, pag. m. 824.

Hæc & pleraque alia differentibus nobis, unus ex amicis qui aderant, homo paulo austerior: Quid est, inquit, quod ad veteris eloquentiæ leges ea, quæ hodie scribuntur exigatis, more *Petronii* & Auctoris *Dialogi de Oratore?* Fuit, fuit ista majorum quorundam in Republica litteraria superstitio, ut nihil, nisi quod jus ab antiquissimis auctoribus sumat, dicerent scriberentve: hodie eloquentia popularis floret: atque vero floreat; nam, ut dicam quod sentio, parum refert, quomodo scribamus, plurimum, quid scribamus: odi effeminatum dicendi cultum: νοήματα æstimo, non ῥήματα. Ad quæ ego: Falleris, Vir Clarissime; Curam verborum, rerum volo esse solicitudinem; (*a*) Falleris, si tam superstitiosum me credis, ut Ciceronem, in quo totas vires suas eloquentia experta est, solum imitandum velim, quia maximè imitandus est: Falleris, si novarum vocum artificibus, ubi idoneæ & propriæ veterum desunt, me planè infensum putas: Falleris, si eo me ingeniô esse tibi persuades, ut in Oratione verba exquisitè pingi velim; quin potius emendatam eloquentiam revocari eò cupiam, quod hanc facilis perspicuitas, barbaram odiosa obscuritas sequitur. *ICtos* veteres maximam partem intelligo: intelligo pleraque *Cornelii Celsi:* intelligo plerosque omnes Ecclesiæ *Patres*,

a. Verba sunt *Quintiliani* Lib. VIII. Procem.

tres, præter *Tertullianum*, (nihil nunc dico de *Dionysio Areopagita*, aliisque paucissimis) cui fortuosum & perobscurum suum scribendi genus jam olim quoque in ipso Latio fraudi fuit, teste *Lactantiô:* (*a*) *Septimius Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, sed in eloquendo parum facilis, & minus comtus, & multum obscurus fuit; ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit.* Horum, ut & emendatissimi cujusque scriptoris, hic fructus est, ut commodè intelligantur, hic honos, ut diu legantur. Recentiorum contrà plerorumque scripta quum in manus sumo, de manibus confestim nihil doctior deponere cogor: fateri cogor, me Latina (si Latina dicenda sunt horum oracula) fere aut dedidicisse aut nunquam didicisse: *Marcianum* aliquem *Capellam* legere mihi videor: in quibusdam vix risum, in aliis vix somnum teneo. Sed vero valeat invidiosum hoc argumentum: habeant barbari, quam occupârunt, civitatem Romanam, suis legibus regant, in sua servitute teneant. Ego non habeo, quo Rempublicam illam consoler, præter versum illum *Virgilii*, (*b*)

Una salus victis, nullam sperare salutem.

a. V. 1. 23. *b*. Æneid. II. 354.

V I.

De Titulo REX REGUM.

STudiosus quispiam Theologiæ, homo piæ mentis multæque lectionis sed permediocris ingenii, quum DEUM O. M. in S. Scriptura (*a*) REGEM REGUM appellari, eamque appellationem ei tanquam propriam a *Dionysio Areopagita* in Libro de *Divinis Nominibus* (*b*) tribui videret, plurimum adeo ex majestate divina decerpi ratus, si tantus tamque sublimis titulus mortali communis esset, indignabundus aliquando, coortô sermone de titulis *Christianissimus* & *Catholicus*, apud me mirabatur *Artaxerxem* Regem Persarum improbè impudenterque tantum sibi sumere, ut *Epistolam*, quam *Esra* descriptam nobis reliquit, (*c*) sic exordiri ausit; ARTAXERXES REX REGUM——

Hujus ego in gratiam ut Persam nostrum redigerem, *primum* ad ipsum summum DEUM, quibus, quantum memineram, *Nebucadnezarem Regem Regum* nominat, hominem delegabam: (*d*) *deinde* monebam, Artaxerxem ita a potentia & magnitudine imperii, velut ex formula linguæ Hebrææ, dici; eam-

a. 1 Tim. VI. 15. & Apocal. XVII. 14. XIX. 16.
b. Cap. XII. princ. p. m. 240. *c*. VII. 12. *d*. Ezech. XXVI. 7. & Dan. II. 37.

camdemque ob caufam eumdem ab *Æliano* (*a*) Βασιλέα μέγαν, *Regem magnum* appellari, eoque fpectare dictum *Agefilai* de rege Perfarum apud *Plutarchum*, (*b*) qui, *cum Afiæ incolæ hunc appellare Magnum folerent*, Τί, ἐκεῖνος (ἔιπεν) ἐμῦ μείζων, ἐι μὴ δικαιότερος καὶ σωφρονέστερος, *Quomodo, ajebat, is me major eft, fi non juftior eft & temperantior?* Ad hæc addebam, *Regum Reges* veteres cò excufatius ita nuncupari, quod his *Reguli* parebant; quò advocabam illuftrem illum, uti duco, locum *Suètonii:* (*c*) *Quin & Barbaros ferunt* — *Regulos quosdam* (Parthos) *barbam pofuiffe, & uxorum capita rafiffe, ad indicium maximi luctus.* Regum *etiam* Regem *& exercitatione venandi & convictu Magiftanum abftinuiffe, quod apud Parthos juftitii inftar eft.* Atque cum *Parthorum* mentio injiceretur, ex abundanti adjiciebam teftimonia *Trebellii Pollionis* (*d*) de *Belfolo*, cujus epiftola ad Saporem ita incipit: *Sapori Rex Regum Belfolus*, — item *Dionis* de *Phraarte*, qui in fua ad Auguftum fe *Regem Regum*, itidem venditat; nec non *Plutarchi* de *Pompejo*, qui hunc titulum Regi Parthorum impertiri noluit. *Poftea* ego ad *Perfas* reverfus, epiftolam Regis *Saporis* ad Conftantium ex *Ammiano* (*e*) adducebam, cujus gloriofum hoc initium eft: *Rex Regum* *Sa-*

a. Hift. Var. XII. 1. *b.* de Profect. Virtut. Sent. p. 78. item Apophthegm. p. 190. *c.* in Vita Calig. cap. 5. *d.* In Valerianis Cap. IV. *e.* Lib. XVII. p. m. 400.

Sapor, particeps siderum, frater Solis & Lunæ Constantio ---- sed neque Ægyptiorum reges hoc titulo abstinuisse docebam Epitaphiô illô *Osmanduæ* apud *Diodorum Siculum*, (*a*) quod Latinè a *Rhodomano* ita redditur: SUM OSMANDUAS, REX REGUM. SI QUIS NOSSE VELIT, QUANTUS SIM ET UBI JACEAM, MEORUM ALIQUID OPERUM VINCAT. Item alterô illô, quod *Sesoosis* (sive *Sesostris*, *Sesonchis*) cippis ubique terrarum bello acquisitarum erectis inscripsit, uti idem refert: (*b*) HANC PROVINCIAM ARMIS SUIS DEVICIT REX REGUM ET DOMINUS DOMINORUM SESOOSIS. Quam quidem Inscriptionem arrogantiæ plenam esse non diffitebar, quum quod titulum, DOMINUS DOMINORUM, ipse DEUS sibi vindicare videtur apud *Mosen:* (*c*) *Dominus Deus vester ipse est Deus deorum & Dominus dominantium*, ---- tum quod in hoc & plerisque Scripturæ locis DOMINUS & DEUS copilantur, copulantur sicuti & apud profanos in impia illa *Domitiani* formula, *DOMINUS & DEUS noster sic fieri jubet:* (*d*) tum denique quod vel unum solum DOMINI nomen Optimo cuique Imperatori, *Augusto*, (*e*) *Tibe-*

a. L. I. C. 47. *b*. Ibid. cap. 55. *c*. Deutern. X. 17. *d*. Vid. Suet. in hujus vita cap. 13. *e*. Id. Cap. 53.

Tiberio, (*a*) *Alexandro Severo*; (*b*) aliis ſanctius viſum eſt, quam ut in divinam hujus ſocietatem ſeſe offerrent, planè ex ſententia *Tertulliani*: (*c*) DOMINUS DEI *eſt cognomen. Dicam plane Imperatorem DOMINUM, ſed quando non cogor, ut Dominum, Dei vice, dicam. Dominus enim meus unus eſt, Deus omnipotens & æternus*, ---.

VII.

De Prodigioſo Calculatore Sueco.

CUm proximè Hauniæ eſſem, in domo Viri Perilluſtris C. R. horas pleraſque veſpertinas tranſigere, curaſque diurnas (nam afflictiora tunc tempora mea erant) deponere ſolebam, quod beneficium gratus recordor. Cœnantibus aliquando nobis uſu venit, ut Calculator ille Suecus, in quo ars Arithmetica totas vires experta eſt, in ſermonem veniret. Ego, qui ne natum quidem hunc hominem noveram, qui miracula ejus juxta cum ignariſſimis neſciebam, novo hoc acroamate excitatus, cupidas aures intendo. Narrantur mirabilia, quæ ut crederem, niſi gravitas narratoris mihi imperaret, neutiquam adduci potuiſſem.

a. Vid. Tacit. Annal. II. 87, 2, & Suetón. in Tib. c. 27. *b*. Lamprid. in vita Sev. cap. 4. *c*. In Apologetico cap. 34.

tuiſſem. Apud memoriam pleraque fideliter quidem depono, efficere tamen, quin partim præterfluant, partim incerta retineantur, non poteram. Decreveram proinde cum Viro Ampliſſimo, Amico & Fautore fideliſſimo *Joanne Grammio* (nam is in eadem domo, quam longa conſuetudine devinctam tenebat, cœnæ interfuerat) maturè agere, ut de rebus hujus Sueci, antequam ex urbe decederem, me quam pleniſſimè erudiret: Sed conſilii mei eventum multiplex occupatio intercepit. Domum reverſus, cum inanitatis meæ me pœniteret, ad cariſſimum, quem modò nominavi, Amicum ſcribo, Suecum in memoriam redigo, notitiam ejus expeto: neque fruſtra. Hic pro ingenua & officioſa ſua in me voluntate ex Libro, qui inſcribitur *Holmia Literata* (edito, uti memorat *Grammius* meus, Holmiæ 1701, 4°. pag. 82.) hoc mihi elogium tranſcriptum mittit:

LARS BENGTSON GRANBERG
NORCOPIA-BAGASTADENSIS.

„ Vulgo ob ſimplex vitæ genus *Lars pa Jorden* dictus. Homo planè ſingularis licet „ monſtroſe obſcurus, dignus tamen Catalogo, in quo admirandæ operationis „ humanæ exemplum deprehendes, cum nec „ legere nec ſcribere, nec quod humanâ ſolertiâ & naturali memoria anguſtius eſt, „ ullo modo legere & ſcribere poteſt diſcere.

„ re. Licet Sueciæ & Daniæ Sereniſſimi
„ Reges largos ſumtus porrexerunt, ut in-
„ genium excolendi occaſionem arriperet.
„ Memoriter tamen infinitas easque difficilli-
„ mas diſcrepantium numerorum differentias
„ & connumerationes arithmeticas ipſo tem-
„ poris articulo explicare novit. e. g. Si ten-
„ tatur in operoſa & graviſſima numerorum
„ pronuntiatione, quot nempe grana ſalis
„ aut piperis navis quædam oneraria vehat,
„ ſi exigua pars modii expleat centenas ali-
„ quas myriadas granorum, quippe a cujus
„ ſuſceptæ rei pluralitate cum longo diſtant
„ intervallo peritiſſimi Magiſtri ut magnitu-
„ dini reſpondeant pluribus forſan diebus,
„ uno excepto & quidem exiguo temporis
„ momento tanto apparatu animo ad quem
„ ipſum natura finxit ſimplici adeoque non
„ vulgari pronuntiat. Sic cum diem & ho-
„ ram tuæ nativitatis quacunque arithmetica
„ nota deſignas, ex unico oculorum jactu
„ quaqua brevitate παραδόξως & manifeſte
„ ſcies, quot dies, horas & minutas hucus-
„ que ſupervixeris.

Brevem hanc hiſtoriam Tabula unius folii grandioris formæ comitabatur, juſſu glor. mem. CHRISTIANI V. per beatum noſtrum *Olaum Römer* in vulgus edita, quatuor *Exempla* Laurentio propoſita comprehendens, quorum unum a Rege noſtro propoſitum, ſpeciminis loco apponere lubet, Latinè ex ſermone Suetico converſum.

EXEM-

EXEMPLUM II.

„ Mercator habebat 33.44.55.66.77.88.99.		Urfos;
„ Singuli Urfi	- - - - - -	Catulos
„ Singuli Catuli	- - - - - -	Caudas
„ Singulæ Caudæ	- - - - - -	Pilos
„ Singuli Pili conftant	- - - -	Carolinis.

„ Jam vero difcere cupio, quot centenarum „ mille myriadum pretio hi urfi emantur: „ item quot mille tonnarum auri fummam hi „ Carolini conficiant?

Refp.

„ *Urfi* funt 462. *Catuli* 200. 13. mille, „ 444. *Caudæ* 98. millies mille, 611. mil- „ le, 128. *Pili* 45. mille, millies mille, 558. „ millies mille, 347. mille, 136. *Carolini* „ 21. mille, mille, millies mille, 47. mil- „ le, millies mille, 953. millies mille, 604. „ mille, 832.

„ Quot auri tonnas hi Carolini efficiunt?

Refp.

„ 70. millies mille, 159. mille, 845. ton- „ nas auri, 34. mille, 944. Imperiales.

„ Quot

„ Quot Oras * dimidias hæc ſumma?

Reſp.

„ Bis mille, mille, millies millies mille,
„ 535. mille, millies millies mille, 754.
„ mille, millies mille, 432. millies mille,
„ 589. mille, 840.

* * *

Jucundiſſima hac novitate, quæ omnem fere admirationis modum egredi mihi videbatur, dum fruor, vir maximè reverendus M. C. optatò ad me quodam die viſit. Hic quum eôdem tempore in domo (perilluſtris,) *Römeri* vixerat, ut *Laurentium* facile pernoſceret, hanc vitæ ipſius ſummam mihi exponit, nihil illo fuiſſe ſpurcius, turpiſſimæ corporis parti immane quantum deditum fuiſſe, denique uſque adeo indocilem, ut in diſciplinam elementariam juſſu ſereniſſimi noſtri CHRISTIANI traditus, pertuſi dolii inſtar nihil qnod ingerebatur, retineret, nullâ auctoritate in hoc officio ſe contineri paſſus.

Finitam narratiunculam diſputatiò placidâ de prodigioſo *Laurentii* Ingenio ſequitur,

* *Ora*, Sueticè *Ore*, eſt octava pars *Marca*, Latinè *ſeſtertius*, puri puti argenti *unciam* olim pondere æquans. Vid. *Loccenii* Antiquit. Sueo-Goth. Lib. II, Cap. XVIII, p. 111. 84.

quippe cujus vim ego immodicè admirari verbiſque exaggerare Amico viſus fueram. Nimirum ille computatorem noſtrum tacitô ſtudio crebriſque mentis agitationibus, in computandi arte unice occupatis, ad tantam ἕξιν perveniſſe contendebat, ejuſque ingenium plus admirationis non habere quam plerorumque clarorùm αὐτοδιδάκτων, *Cujacii* in Jurisprudentiâ, *Budæi* in litteris humanioribus, *Jov. Pontani* in Matheſi, *Guiliel. Poſtelli* in peritia Linguarùm, aliorumque complurium, qui abſque doctore ſingularem ex doctrina laudem conſecuti fuerunt. Ego contrà non dubitabam, ſi meditationibus tanta dexteritas acquiri poſſet, jam plures in Orbe Arithmetico Laurentios exſtitiſſe, quos nulla tamen ætas ad hunc diem Sueco iſti pares tulit, imo ne Arabem quidem illum, ut opinor, *Mahometh*, Moſis filiùm, Algebræ inventorem, quem inter XII ſubtilia orbis ingenia loco nono ponit *Cardanus*. (*a*) Haud equidem negabam, quotidianis ruminationibus tanquam oleô flammam illam ingenii ali atque augeri potuiſſe & debuiſſe: ignem vero ipſum de cœlo decidiſſe, ſive, ut Philoſophi loquuntur, *habitùm* fuiſſe *infuſum* pro certo conſtanter habebam. Scilicet (inquiebam) alii aliter ſubtiliuſque Philoſophentur: Meâ quidem ſententia homo quilibet ad vitam hanc naturalem ex utero materno ſuam ſecum dotem affert, (ſcrip-

a. Lib. XVI. de Subtilitate.

(Scriptura τάλαντον vocat,) (*a*) i, e, ingenium præstantius aut tenuius, alius divinam quandam sollertiam Mathematicam, sicut *Nostradamus*, magnum illud Galliæ totiusque orbis miraculum, alius Arithmeticam, sicuti *Laurentius* noster, alius aliam, sicuti Lutetiæ Anno 1445 Adolescens quispiam viginti annorum, *qui omnia tenuit*, *unde* Anti-Christus *a Diabolo genitus putabatur*, si vera narrat *Jonstonius* & ex eo *Hornius* in Historia naturali. (*b*) Atque meam mihi sententiam confirmat testimonium superius allatum ex *Holmia Litterata*, Laurentium *nullo modo legere & scribere discere potuisse.* Quam facultatem, cum altera abundaret, ei a natura negatam fuisse eo minus miror, quò exploratius est, eas plerumque naturæ leges esse, ut homo uno sensu præter modum fortunatus auctusque, altero aliquo vel intra modum valeat vel planè destituatur. Denique de *Computatore* nostro hoc breviter dixerim, Ingeniosum eum absque ingenio fuisse, doctum absque doctrina, litteratum absque litteris.

a. Matth. XXV. 15. sq. *b*. Lib. III. c. 4.

VIII.

JANNES & JAMBRES.

JUvenis quispiam, remotiorum quæstionum doctrinarumque diligentissimus, ut *Magorum Ægypti Præstigias* apud Mosen (*a*) ingeniô comprehenderet, multas ingenio suo difficultates fecerat, plerosque rerum Ægyptiacarum scriptores veteres, *Jamblichum*, *Diodorum*, *Strabonem*, *Herodotum* & *Plutarchum*, quàm studiosissimè perlegerat, sed nullum, nullum prorsus Magiæ nefariæ vestigium deprehendere potuerat. Hic ad recentiores demum (*b*) se applicans, cum diu inter eos erraffet, quodam die ad me venit, quasi inventis ad fontem tibiis, ut ajunt poëtæ, exsultabundus. Causam ego tam hilaris animi, tam exporrectæ frontis quæro? respondet ille, pergratam sibi rem contigisse, jam tandem adhibitâ viri clarissimi *Joachimi Langii* explanatione omnem sibi de Ægyptiis suis dubitationem, omnem difficultatem esse sublatam. Tum vero *Langius* profertur, ex ejusque *Historia Ecclesiastica* (*c*) prælegitur illa viri doctissimi sententia: *Miracula Magorum fuerunt veri Numinis opera, ab ipso Deo per ipsos edita.* —— Quid super his sentiam Juvenis meus percontatur, sententiæ Langianæ admi-

a. Exod. VII. & VIII. *b.* Quos *Reimmannus* in Antiqu. Litter. Ægypt. pag. 148 sqq. commemorat. *c.* Period. IV. Mos. p. 50.

mirator? Cui ego, salva, inquam, & incontroversa per me sit Theologi tui auctoritas: non repugno. Verum enim vero, si quid in me judicii est, næ Ægyptius ille Langii Deus campum, in quo contentiosa eloquentia longè latéque excurrat, aperire videtur.

Pergere me ille jubet, meamque sententiam expromere. neque enim dubitabat, de hujusmodi re minime vulgari me vel alte cogitasse, vel in adversaria quicquam conjecisse, vel ex variis lectionibus auditionibusve nonnihil didicisse. Pareo, pergo, expromo. Summa hæc est: *Magiam* (inquam) Ægyptiam, plerique veterum Christianorum pro *fallacia* habuerunt. Sic apud *Tertullianum* (*a*) me legere memini: *Quid ergo dicemus magiam? quod omnes pene, fallaciam. —— Corpora videbantur Pharaoni & Ægyptiis magicarum virgarum dracones, sed Moysis veritas mendacium devoravit.* Sic porro apud *Lactantium:* (*b*) *Magorum ars omnis ac potentia dæmonum adspirationibus constat; a quibus invocati, visus hominum præstigiis obcæcantibus fallunt, ut non videant ea, quæ sunt, & videre se putent illa, quæ non sunt.* Alii Scriptores, ut sacræ historiæ simplicissima suà veritas constet, Magiam Ægytiorum veram fuisse opinantur, quibus ego quidem assentior, sed & insuper miror, inter חכמים, *Sapientes*, & מכשפים, *Præstigiatores*, quos *Moses* ex intervallo passim חרטמים, *Incantatores*, vocat, nullam

a. De Anima Cap. LVII. *b.* II, XIV. 10.

lam obſervationem diſcriminis, quod ipſa Scriptura monet, ab iis, quotquot vidi, haberi: quaſi vero *Sapientes* Ægyptii magiam illicitam profiterentur, uti Salmanticæ olim in ſcholis publicis θεουργίαν & γοητείαν, peſtilentes illas Magiæ partes, traditas fuiſſe perhibet *Jo. Laurentius Anania*, (*a*) & ex ejus fide *Georgius Raguſeeus* Theologus, Medicus & Philoſophus Patavinus. (*b*) Fanè apud *Danielem* Cap. V, factâ vs. 8 mentione τῶν חַכִּימִין, vs. 11 οἱ חַרְטֻמִּין (LXX Int. ἐπαοιδοὶ, *incantatores*) planiſſime a ceteris ſapientibus, אָשְׁפִין (*Magis*) כַּשְׂדָּאֵי (*Chaldæis*) גָּזְרִין (*Aruſpicibus*) diſtinguuntur. Atque illos quidem Ægyptiorum *Sapientes* nusquam neque in Scriptura ſacra nec profana Magiæ crimine accuſari video, quin a *Jamblicho* de *Myſteriis Ægyptiorum* hôc teſtimoniô eos abſolvi video: (*c*) *Sacerdotes Ægyptiorum de iis, quæ ad purgationem, ſolutionem, ſalutem animæ pertinent, divinam intelligentiam interpellant, neque meditantur hominibus inutilia, imo res animæ omnium utiliſſimas; neque ſubdolo & ſeductore quodam dæmone obfuſcati hallucinantur, qui in omnibus fallacem dæmonicamque naturam prorſus excedunt, atque ad intelligibilem divinamque conſcendunt.* — Uti *Marſilius Ficinus* Latinè interpretatur. Quid? quod, Hi in Ægypto erant, qui apud Indos *Gymnoſophiſtæ*, apud Per-

a. III, de Natura Dæmonum. *b*. L. II de Divinat. epiſt. 6. *c*. Cap. extr. p. m. 178.

Perſas *Magi*, apud Babylonios & Aſſyrios *Chaldæi*, apud Celtas & Galatas *Druides*, quibus apud *Laërtium* (*a*) & *Tertullianum* (*b*) aliosque comparantur. Hi optimis quibusvis artibus eruditi, & quidem a magiſtro *Abrahamo*, (quod nonnulli volunt,) (*c*) honeſtiſſima Magiæ ſuæ diſciplinam docuerê *Joſephum*, uti auctor eſt *Juſtinus* (*d*) & ex eo *Oroſius*; (*e*) quo factum quidam credunt, ut a Pharaone צפנת פענח dictus ſit, i, e, *Arcanorum Revelator* vel *Interpres*, ſi vera illa verborum verſio ſit, ut arcanorum revelatore vel interprete novo non indigeant. Hi porro docuerê *Moſen*, fatente S. Scripturâ, (*f*) Καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων· ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις, *Et eruditus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum; eratque potens dictis & factis.* Cujus quidem ſapientiæ partes *Clemens Alexandrinus* (*g*) commemorat Ἀριθμητικὴν, Γεωμετρίαν, Ῥυθμητικὴν, Ἁρμονικὴν, Ἰατρικὴν, Μυσικὴν, τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν ἐπιδείκνυνται, καὶ τὴν τῶν οὐρανίων ἐπισήμην.

His placidè auditis, Amicus Juvenis famoſa illa nomina, quæ apud *Paulum* (*h*) *Jannes* & *Jambres*, apud alios aliter leguntur, Magos

a. Proem. §. 1. *b.* Lib. I. adv. Marcionem Cap. XIII. *c.* Uti Eupolemus apud Euſebium Præp. Ev. Conf. Poſtell. de Originibus Cap. XV. *d.* XXXVI. 2, 6. *e.* Lib. I, Cap. VIII. *f.* Act. VII, 22. *g.* I Strom. p. 343. *h.* II. Tim. III, 8.

gos infames ex ordine Sapientum Ægyptiorum, mihi objectat. Monet idem, utrumque a *Greg. Abulpharajio* (*a*) vocari *Sapientes, qui Mosen in Sapientia instituerunt :* monet, eos a *Numenio* apud *Eusebium* (*b*) Ἱερογραμματεῖς, *Scribas Sacros*, ab *Artapano* apud eumdem (*c*) Ἱερεῖς ὑπὲρ Μέμφιν appellari. Quibus ego auctoritatibus minus idoneis & recentioribus antiquiores alias Hebræorum oppono, qui duos illos *fratres* (ut *Ambrosius* putat) nusquam collegio Sapientum adscribunt, sed חרטמים (*Præstigiatores*) item מכשפים (*Incantatores*) sive ראשי החרטמים (*Capita Præstigiatorum*) item ראשי מכשפים, *Capita Incantatorum*, tantum cognominant: (*d*) quibus quidem artificibus Pharao usus delectatusque fuit, sicuti Imperatores *Nero* apud *Suetonium*, (*e*) & *Didius Julianus* apud *Spartianum*, (*f*) alii.

Denique quæsitum est, cujusmodi animalium genus fuerint, quæ Mosi כִּנִּים dicuntur? item quî factum sit, ut Magus hæc producturus jam manus dare, *digitumque DEI esse* fateri cogeretur ? de voce Hebræa, uti & Græca, qua LXX Interpretes illam exponunt, (*g*) σκνίφες, ea replicamus, quæ *Bochar-*

a. In Historia Dynastiarum pag. 17. *b*. Præpar. Ev. L. IX. p. 241. *c*. Ibid. L. IX. p. 435. *d*. Vid. Fabric. Cod. Pseudepigr. V. T. p. 822 sq. *e*. Cap. 34. *f*. Cap. 7. *g*. ad Exod. VIII, 18. & Psalm CV, ℣ 37.

chartus (*a*) quæ *H. Stephanus* (*b*) differunt: deinde ad interpretes Latinos conversi, insectorum istud genus a Veteribus *Ciniphes* (male a recentioribus quibusdam *Pediculos*) verti discimus; quos *Orosius* (*c*) in hunc modum, ubi de plagis Ægyptiorum agit, describit: *Post ignitos ciniphes, & nusquam, toto se aëre vibrantes, evitabiles.* item alio in loco: (*d*) *Ibi tertia vexatio habuit Cyniphes, musculas scilicet parvissimas ac sævissimas, quæ mediis sæpe æstibus per loca sqvalida coadunatim vibrando densatæ, & in nullo volatu allabi solent capillisque hominum ac pecudum setis cum urente morsu interseri.*

Hinc ad causam, quamobrem magi Ciniphes producere potis nos essent, digredimur. quæ quò simplicior, eò rectior nobis videbatur, si crederemus, tum, cum ad hoc miraculum ventum esset, DEO visum fuisse, modum potestatis magicæ inhibere, ut potentia & majestas divina eò gloriosius, deficientibus jam Janne & Jambre, in oculos & animos populi utriusque se inferret, ut impotentem animi Pharaonem pœnitentia certaminis sui cum Supremo Numine subiret, ut victam & triumphatam Magiam impudentiæ suæ audaciæque puderet. Ceterum non diffitebar, in eam me quondam opinio-

 nem

a. Hieroz. P. I. L. I. Cap. IX, p. 70. *b.* in Append. ad Thesaurum L. Græcæ col. 1242, sq. *c.* Lib. I, Cap. X. *d.* L. VII, C. XXVII.

nem incidisse, ut Ciniphes Ægyptios, eô tempore prodeuntes, novum in rerum natura genus bestiolarum fuisse, quorum in opinatô adspectu obstupefacta vis magica concidit, mihi persuaderem.

IX.

De Auctoritate PRINCIPIS in Judicia Civium.

QUum proximi seculi ea apud nos Danos fortuna esset, ut poëtarum vernaculorum gloriâ superiores ætates superaret, futuris spem omnem æquiparandi præciperet, unum tulit, ingenii virtutibus quàm virtutum ingenio præstantiorem, quem

Largus & exundans letho dedit ingenii fons. (*a*)

Hunc nescio quæ vecors libertas agitaverat, usque eo, ut temperare sibi non posset, quin maledicos versus in plerosque regni Proceres scriberet, ipsi etiam sanctissimo Principi gravissimâ injuriâ haud obliquè factâ. Lex est: (*b*) *Quisquis contumeliosa maledicta in* REGEM *conjicit, famâ, morte bonisque multator, ita ut, dextrâ vivo amputatâ, corpus ejus in par-*

a. Juvenal. Sat. X, ℣ 119. *b.* Leg. Danic. L. VI, Cap. IV, Artic. I.

partes dissectum rotæ imponatur, caputque unà cum manu palo infigatur. Item, (*a*) *Si quis regimen* REGIS *contumeliosis dictis lacessere ausus fuerit, famâ & bonis multator:* --- Nihilo minus malefico nostro aliud malum non datum est, quàm quod mitissimus *Augustus* quondam *Cassio Patavino* dedit, qui hunc *levi exilio punire satis habuit, cum in convivio pleno proclamasset, Neque votum sibi neque animum deesse eum confodiendi.* (*b*) Nimirum per incredibilem probissimi CHRISTIANI nostri indulgentiam fit, ut *Jacobus* noster W, relegatione in Orientem unicè multetur, impudentiam suam orbitate apud Indos ad supremum diem expiaturus: quanquam non desunt, qui alium vitæ exitum eum habuisse prædicant, in itinere maritimo, cum de exilio reduceretur, insepultam sepulturam nactum.

Versus hujus poëtæ, item Dissertatio Latina ejusdem, cui titulus, *Idola Jeroboami in Dan & Bethel*, aculeatis probris plena, in cœtu studiosorum quorundam hominum olim legebatur, cum ego forte arbiter intervenirem. Quid præ manibus sit, rogo? exhibent illi infelicis istius ingenii monumenta; quæ conspicatus, cum primâ fronte mihi nota essent, lectoribus suis reddo, additâ voce, Pessimè de ingenio suo poëtam nostrum meritum fuisse, neque multò melius eos, qui hunc & similes le-

a. Ibid. Artic. IX. *b.* Vid. Sueton. Cap. LI.

legunt, de bonis horis mereri. Ad quæ Juvenum unus: Tantum abest, inquit, ut eô animo legamus, quô ille scripsit, ut potius immanem ejus petulantiam hominis non sani esse judicemus. Haud tamen diffiteor, jucunda nobis esse, quæ Auctor Principem admonet, præmia virtutis ab ambitione possideri, indignos pro dignis surrepere, patriam illis servire, qui patriæ non serviunt, Aulæ, Belli, Civitatis, Ecclesiæ onera. Tum vero ego, An nescitis, inquam, vetus illud dictum *Aristotelis*: (a) Οὐ πλεῖστος νοῦς καὶ λόγος, ἐνταῦθα ἐλαχίστη τύχη, *Ubi plurimum mentis ac rationis, ibi minimum fortunæ?* Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri querentur, Tam raro hominem mereri, quod assequitur, quàm assequi, quod meretur. Non ferendus tamen videtur civis, qui Principi suo hoc vitio vertat exprobretque, sicuti *Antisthenes* quondam Atheniensibus, quibus ille cum suaderet, *asinos ut decernerent esse equos, atque hi ab omni prorsus ratione id alienum esse dicerent*, Ἀλλὰ μὴν καὶ στρατηγοί, φησί, γίνονται παρ' ὑμῶν μηδὲν μαθόντες — *At, inquit, apud vos duces quandoque fiunt, qui nihil didicerunt.* (b) Certe numen Principis, a quo tanquam manu DEI beneficia humana dispensantur, eâ verecundiâ suspici oportet, quam *Codex Theod.* (c) præcipit:

a. Magn. Moral. L. II, c. 8. b. Laërt. L. VI, § 8. c. Lib. IX, Tit. XXIX, leg. 2.

cipit : *Disputare de principali judicio non oportet. Sacrilegii enim instar est, dubitare, an is dignus sit, quem elegerit imperator.* Quò accedit monitum *Nazarii* in Panegyrico constantin. (*a*) *Existimare de Principibus nemini fas est*; quod quidem *capitale* erat sub *Tiberio*, *dictum ullum factumve ejus existimatione aliqua læsisse*, uti apud *Suetonium* (*b*) me legere memini. Atque ea civis reverentia non profecto minima fidei in Principem portio est. Quid? si Rex meus *Ludovici* XI exemplô ex medico Cancellarium, ex tonsore Legatum primi ordinis creaverit, (*c*) res ea non mei judicii est, est obsequii mei, tacitè suffragari, atque cum animo cogitare effatum illud *Apostoli*: (*d*) Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ· αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν: fateor, quod M. ille Terentius apud *Tacitum*: (*e*) *Non est nostrum æstimare, quem supra ceteros, & quibus de caussis extollas. Tibi* (*Tiberio*) *summum rerum judicium dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est.* De Rege meo loquor, non de *Nerone* aliquo aut *Heliogabalo*, qui bonis & frugi hominibus infensi, perditis & perniciosis amplissimos Reipublicæ honores turpiter deferebant.

Erat,

a. Cap. V, princ. *b.* in Tiberio Cap. LVIII. *c.* Vid. Boter. de Rep. L. II. C. IX, p. m. 262. *d.* Rom. XIII, 1. *e.* Annal. VI, 8, 5.

Erat, qui hujusmodi verecundiam immane quam brutam dicebat, si de indignis, quos Princeps idoneis præponit, conqueri nefas aut religio esset; si impune fateri non liceret, quod ille casæ habitatores coram Rege Antiocho, quem ignorabant, (*a*) Ὁ Βασιλεὺς χρηστὸς, οἱ δὲ φίλοι μοχθηροὶ, *Rex bonus est, sed amici pravi.* Cui ego; Memento, inquam, ô Juvenis, hominem, cui Princeps partem aliquam imperii demandat, haud ita temere indignum judicari oportere, uti ab imperito vulgo fieri solet, qui sæpe pastorali tibia quàm exquisitissimo cantu plus delectatur; qui in pictis tabulis non tam luminis & umbræ artificium quam multiplicem colorem spectat: qui virtutes hominis non animo, non obstinatione fidei in patriam, magis quàm corpore, fortunâ, famâ metitur. Memento, ingenium humanum ita esse, ut in æstimanda aliorum sollertia plus odio, invidiæ, cupiditati plerumque indulgeamus, quàm honestati obsequamur, honoresque, quos ipsi forte optamus, ubi alteri obtingere videmus, jam miserè profusos esse queramur, exclamantes illud *Vulpis de Persona tragica* apud *Phædrum*; (*b*) *ô Quanta species, & cerebrum non habet!* sive Ciceronianum illud, *ô tempora, ô mores!* (*c*) Memento, beneficia, quæ indignis, uti vocamus, tribuuntur, vitia esse non tam Prin-

a. Plutarch. Apophth. p. 184. *b.* Lib. I, Fab. 7.
c. pro Dejotaro C. XI, item I. in Catil. C. 1.

Principis, quam eorum, qui Principis aures & oculi sunt, qui commendant, qui fidem pro meritis interponunt. Memento denique, si ingeniorum electio tibi a Principe daretur, si, singulis *Aulæ*, *Belli*, *Civitatis*, *Ecclesiæ* stipendiis in tua manu positis, rem publicam ita ordinares, ut jam nemo nisi clarissimus, nisi excellentissimus magistratum & honores publicos gerat; magnas tamen horum virtutes magnis sæpe vitiis haud carere, adeo ut dubium sit, patriæne tantundem obsint, quantum prosint. *Sejanus* præstantis, fateor, ingenii aulici est, & consilii plenus, sed superbus, sed insidiosus, & *facinorum omnium repertor*: (*a*) *Rufinus* in Bello *egregiè fortis & bonus imperator*, *sed avarus & furax*: (*b*) *Verres* in Civitate homo callidus & legationis obeundæ peritissimus, sed *sacrilegus*, sed *regionum suarum prædo*. (*c*) Taceo de plerisque eorum, qui Ecclesiam regunt, ingenii gloriâ præter alios florentibus. hos vero jam ab omni ævo quò eloquentiores præstantioresque, eò turbulentiores fuisse constat, unde tot Concilia adversus rei ecclesiasticæ novatores, tot cruenta odia & bella, tot hodieque in ecclesia corruptelæ. Quibus quidem rebus rectè æstimatis, non est quod mireris, si ego, mediocritatis ingenii amator, salvâ nobi-

a. Tacit. Ann. IV, 11, 4. *b*. Cic. Lib. II, de Orat. C. LXVI. & Gell. IV, 8. *c*. Lactant. II, 4, extr.

bilium meritorum dignitate, hominem, qui multa peritia, quàm peritiam, quæ homine indiget, malim.

X.

Conſpectus AULÆ veteris ROMANÆ.

NObilium noſtratium quempiam, civiliter eruditum, nova quædam cupiditas antiquam *Aulæ Romanæ* faciem videndi inceſſerat; cupiditas eò amabilior, quò rarioris exempli in patriciis noſtris eſt & prodigio fere ſimilior. Hic, quicquid in vita aulica magnificum, in cultu regio ſuperbum, in ſpectaculis amœnum eſt, Palatio veteri Romano quondam clauſum ratus, quum diu librum hiſtoricum ejus argumenti fruſtra quæſiſſet, pro ea quá apud me valebat auctoritate, pro ea qua apud eum valebam gratia, in mandatis mihi per epiſtolam dederat, ut me ſibi impenderem, Antiquitates Romæ Aulicas librô commentariô exſequiturus. Ego ſegnitiæ meæ ſeu potius imperitiæ diu tum temporis tum materiæ difficultatem prætexo, nullis conditionibus, ut juſtum volumen conſcriberem, me adduci paſſus. Tandem Patrono jam coram colloquenti fidem do, me brevi pòſt, re paululum deliberatâ, & lectionibus meis àntiquis in conſilium adhibitis, imperata per Epiſtolam facturum. Nec promiſſum fefelli,

fefelli, si exspectationem Patroni non fefelli. Exemplum Epistolæ hoc est:

Vir Nobilissime,

„ Ex quo ab urbe discessisti, negotium,
„ quod mihi dederas, suscepi, scrinia mea
„ recognovi, sed cassa fere omnia, certe ni-
„ hil te dignum in medio inveni. Nihilo
„ minus ut tuæ cupiditati, ut meo officio
„ morem geram, rudes quasdam Aulæ Vete-
„ ris Romanæ lineas feci, quas alii peritio-
„ res, si visum fuerit, illuminent, tu sac
„ æqui bonique consulas. Momenta argu-
„ menti præcipuè ad tria illa *Honestum*, *Utile*
„ & *Jucundum* revocavi. En

HONESTUM.

„ Si *Machiavelli Principem* (*a*) non audis, est
„ quod admireris *Publicam* Imperii Romani
„ FIDEM, quam *Polybius* (*b*) aliique pere-
„ grini Scriptores tantopere prædicant, ut
„ facile fidem habeas testibus domesticis,
„ Floro, (*c*) *Summa fœderum Romanis reli-*
„ *gio est:* item Gellio, (*d*) *Populus Romanus*
„ *omnium maximè atque præcipuè fidem coluit*,
„ *sanctamque habuit tam privatim quam pu-*
„ *blicè.* — Nec non Valerio Maximo, qui

a. Cap. XVIII, p. m. 144 sq. *b.* Lib: VI, c. 54. & L. XV, c. 4. *c.* II, 6, 5. *d.* Noct. Attic. XX, 1.

„ *venerabile*, inquit, (*a*) *fidei numen in nostra* „ *civitate viguisse*, *& omnes gentes senserunt*, „ *& nos paucis exemplis recognoscamus.* —— „ Si studia amas, (amas autem ut qui maximè) mirificè profecto se tibi probabit Imperatorum Romanorum AMOR IN LITTERAS, quas illi, paucissimis exceptis, tantô studiô coluerunt, ut non modò summum honorem doctis viris haberent, sed in vita etiam quotidiana familiariter uterentur, (sicuti in *Quaestionibus* meis *Romanis* copiosius exposui) quinimo ne ipsi quidem sæpe abstinerent, quò minus aliquid scriberent, si hoc studium Principi non minus indecorum judicas, (uti scriptores rerum civilium hodie judicant) quàm *Neroni* cantilenas condere, *Philippo* musicam exercere, *Eropo*, Macedonum regi, lateres conficere, *Valentiniano* pupulas cereas effingere, aut *Demetrio* arma in belli usum fabricare. (*b*) Quum Tute Herois filius es, scias MAGNITUDINEM ANIMI haud quaquam aliunde melius quam ex Aula Romana addisci. Hanc virtutem dicta & facta Imperatorum in negotiis publicis passim testantur. Testes hujus gravissimi omnium sunt hostes Romanorum gravissimi *Carthaginienses* & *Pyrrhus* atque alii, quorum injurias illi ut quam honestissimè

a. L. VI, c. 6. b. Vid. Boter. de Politia L. II, c. 9.

„ tiſſimè ulciſcerentur, non ſunt ulti: unde „ *Gellius:* (*a*) *Sæpe*, inquit, *in ſeſe factas* „ *injurias ulciſci neglexit Populus Romanus.* „ Taceo de JUSTITIA, quæ diſciplinam „ publicam temperet, quæ mores populi re- „ gat. Hanc Romani illi tot præclaris LE- „ GUM ſanctionibus cuſtodiverê, ut negari „ nequeat illud *Valeri* teſtimonium, (*b*) *Ju-* „ *ſtitiæ præcipuum & certiſſimum inter omnes* „ *gentes noſtra civitas exemplum eſt.* Sane præ- „ ſtantiſſimas pleraque, quibus nos hodie te- „ nemur, Leges ab Auguſtis Romanis ac- „ ceptas eſſe nemo diffitetur. Ceterum ut „ certiorem quamdam imaginem HONESTI „ in Aula Romana habeas, unam illam *Ale-* „ *xandri Severi* vitam, ab *Ælio Lampridio* „ ſcriptam, tibi commendo, quâ glorioſio- „ rem aliam, quantulum equidem judico, in „ hiſtoria Romana reperiri dubito: ita bonis „ exemplis dives eſt, & ſanctimoniâ, ſupra „ quam credibile eſt, planè inſignis. Per- „ go ad

U T I L E,

„ Quò refero *Officia Domus Auguſtæ*, de qui- „ bus *Gutherium* ſcripſiſſe ſcio, quid ſcripſe- „ rit, neſcio. Ecquænam illa? Quæris. Ac- „ cipe potiora; nam per ſingula ire, & ad „ *Arcarios*, *Aquarios*, *Cœlatores*, *Ornatores*

E 2 „ Prin-

a. L. VII, c. 3. *b*. VI, 5, princ.

„ Principum descendere nec operæ est, nec
„ vacat.

„ A *Senaculo* Imperatoris, in quo consilia
„ iniri, Legatis responsa dari solebant, or-
„ diri lubet. In hoc Rei publicæ atque Au-
„ læ operam dabant, quos hodie *Consiliarios*
„ *Intimos* vocamus, COMITES & AMICI
„ *Cæsaris*, qualis *Quadratus* ille apud *Gru-*
„ *terum* Inscr. Pag. MC, n. 5.

C. SENTIO
SEVERO
QUADRATO
C. V. COS.
AMICO. ET
COMIT. AUS. &c.

„ Adde *Spartianum* in vita Hadriani, (*a*)
„ *Cum judicaret, in consilio habuit non* Ami-
„ cos *suos aut* Comites *solùm, sed Juriscon-*
„ *sultos, & præcipuè Julium Celsum, Salvium*
„ *Julianum, Neratium Priscum, aliosque;*
„ *quos tamen senatus omnis probasset.*

„ In *Tabulario* Palatino ad manum erant,
„ qui dicuntur A LIBELLIS, SCRINIA-
„ RII, MAGISTRI A LIBELLIS, MA-
„ GISTI SCRINIORUM, AB EPISTO-
„ LIS, MAGISTRI EPISTOLARUM,
„ &c. Quorum ministeria qualia & quàm
ho-

a. Cap. XVIII, pr.

„ honorifica fuerint, te *Codex* (a) in primis
„ docebit.

„ In *Cubiculo* versabantur SILENTIARII,
„ PRÆPOSITUS SACRI CUBICULI
„ cum suis, quibus præerat, CUBICULA-
„ RIIS, qui & A CUBICULIS dicuntur,
„ item ADMISSIONALES sive ADMIS-
„ SIONUM MAGISTRI, nec non qui A
„ VESTE erant, &c.

„ In *Triclinio* ministrabant PRÆGUSTA-
„ TORES, qui A POTIONE erant,
„ PEDISEQUI TRICLINIARII, (uti
„ vocantur apud *Gruterum* Inscr.P.DLXXVI,
„ n. 6) PUERI CÆSARIS, (v. ibid. P.
„ DCIII, 6.) quibus rector præerat, MA-
„ GISTER PUERORUM DOMUS
„ AUGUSTÆ dictus, aliique A SUPEL-
„ LECTILE, AB ARGENTO POTO-
„ RIO, AB AURO ESCARIO, MINI-
„ STRATORES, &c.

„ Denique in *Palatio* Romano militabant
„ (utor verbo Imperatorum in *Codice*) PRÆ-
„ FECTUS PRÆTORIO, COMES
„ PALATII, COMESSTABULI, PRÆ-
„ FECTUS SATELLITUM, DISPEN-
„ SATOR, QUÆSTOR AUG. innumeri
„ alii, quibus ARCHIATRI SACRI PA-
„ LATII, item qui A BIBLIOTHECIS
„ erant, accedunt. Sequitur dehinc Mo-
„ mentum Tertium,

(a) L. XII, Tit. XIX, p. m. 1746 sqq.

JUCUNDUM.

„ Scilicet in Aulis Principum Romanorum, „ prorsus ut in hodiernis, voluptatis causa „ alebantur NANI & NANÆ. Sic *Na-* „ *nus adstans mensa Tiberii* memoratur *Sueto-* „ *nio*, (*a*) & Alexander Severus *Nanos* & „ *Nanas populo donasse* fertur apud *Lampri-* „ *dium* (*b*): alebantur itidem MORIONES, „ ut hic in vita Severi auctor est. (*c*) Sic Im- „ perator *Verus Agrippum histrionem habuit*, „ *cui cognomentum erat Memphi*, *quem e Syria* „ *veluti trophæum Parthicum adduxerat*, *quem* „ Apolaustum (*d*) *nominavit*. *Adduxerat* „ *secum & fidicinas & tibicines & histriones*, „ *scurrasque mimarios & præstigiatores*, *& om-* „ *nia mancipiorum genera*, *quorum Syria &* „ *Alexandria pascitur voluptate* ——. (*e*) Ju- „ cundæ quoque in Palatio erant PELLI- „ CES; sicuti *Cæsonia* (*f*) *Caligulæ*, item „ *Poppæa Sabina Neroni intimum consiliorum*, „ (*g*) nec non Amica *Veri*, cujus *ad arbi-* „ *trium* hic *barbam posuisse* traditur a *Capito-* „ *lino*: (*h*) ut nihil de reliquorum Princi- „ pum Amoribus dicam, in primis de cal- „ lidissimis illis *Augusti*, qui matronas nobi- „ lio-

a. Cap. LXI. *b*. Cap. XXXIV. *c*. Loc. cit. *d*. Vide Supplementum meum L. Lat. p. 32. *e*. Capitolin. c. 8, in vita Veri. *f*. V. Sueton. c. 33. & Juvenal. VI, 616. *g*. Tacit. Annal, XV, 61, 3. *h*. Cap. * VII.

„ liores iniri solebat, *non libidine, sed ratio-*
„ *ne, quò facilius consilia adversariorum per cu-*
„ *jusque mulieres exquireret*, uti Amici adul-
„ teria ipsius apud *Suetonium* (*a*) excusant.
„ Sed & EUNUCHI atque SPADONES
„ in deliciis erant, potentissimum imo &
„ pestilentissimum hominum genus, a qui-
„ bus *vendi se noluit Gordianus* Tertius, (*b*)
„ & *Alexander Severus* sapienter abhorruit;
„ teste *Lampridio*, (*c*) qui in hunc modum
„ eos describit: *Eunuchos nec in consiliis nec in*
„ *ministeriis habuit, qui soli principes perdunt;*
„ *qui a Populo & amicis Principem submovent;*
„ *qui internuntii sunt, aliud quam respondetur*
„ *sæpe referentes, claudentes Principem suum,*
„ *& agentes ante omnia, ne quid sciat.* —
„ Ad has atque alias Aulæ Romanæ vo-
„ luptates accedunt *oblectamenta publica*, LU-
„ DI & SPECTACULA, quorum noti-
„ tiam, quum jam a compluribus scriptori-
„ bus exposita sunt, tibi suppetere non du-
„ bito, atque suppeditare proinde superse-
„ deo. Tacitus quoque prætereo *Oblectamen-*
„ *ta privata*, quibus Augusti illi partim ani-
„ mi laxandi, partim corporis exercendi cau-
„ sâ otium consumere solitabant. Quid enim
„ tua interest scire, *Octavium* & *Claudium*
„ omnium maximè & studiosissimè ALEA
„ lusitasse? *Julium Cæsarem*, *Augustum*, *M.*

 An-

a. Cap. LXIX. *b.* V. Jul. Capitol. c. 23. *c.* Cap. LXVI.

„ *Antoninum Philosophum*, *Alexandrum Severum*, Ludo PILÆ, cujus apprime periti erant, gavisos fuisse? alium VENATU, CERTAMINE BESTIARUM domestico, aut PISCATU delectatum? alium, imo ipsum *Augustum* NUCIBUS quandoque aut TALIS *lusisse cum pueris minutis*, *quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat*, *præcipuè Mauros & Syros?* (*a*) Nota MAUROS; nam & horum frequens usus in Aulis Principum atque Nobiliorum Romæ erat; unde *Quintilianus*: (*b*) *Habent hoc quoque deliciæ divitum*; *malunt quærere omnia contra naturam. Gratus est ille debilitate*, *ille ipsa infelicitate distorti corporis placet: alter emitur*, *quia coloris alieni est.* — Puta fusci sive *obluridi*, ut vocat *Ammianus*, comitatum matronarum Rom. describens, (*c*) *Postrema multitudo spadonum a senibus in pueros desinens*, *coloris obluridi*, *distortaque lineamentorum compage deformis*.

„ Et jam modum Epistolæ excessisse mihi videor, quum Tu, Vir Nob. aurem mihi vellicare videris, ut *Ceremonias* quasdam *Aulæ Romanæ* prius, quam manum removeam, extremis, quod ajunt, digitis attingam. Agedum, finge Te civem Romanum esse, atque antiquissimis illis tempo-

a. Sueton. in Aug. c. 83. *b*. Declamat. CCXVIII. *c*. L. XIV, c. 6.

„ poribus vivere : finge, Principem tibi salutandum esse, teque *in vestibulo ædium Palatinarum*, sive *in area Palatina* SALUTATIONEM *Cæsaris opperire*, ut *Gellius* (*a*) loquitur ; jam fiet, si *Augustum* aut hujus similes conveniendi potestatem optes, ut facilis tibi aditus tanquam in *Ædibus Publicis* (*b*) sit, *patente velô*, *admissionalibus remotis*. (*c*) Admissus salutato, AVE IMPERATOR, aut, si cum *Alexandro Severo* tibi res est, AVE ALEXANDER, (*d*) ne capite quidem flexô. Quod si *Maximini Junioris* aut *Caligulæ* conspectum subeas, jam manibus, jam genibus, jam pedibus oscula figenda esse (*e*) memento; nam in his illi membris, si audiri velis, aures habent, quod de *Dionysio* olim *Aristippus* dixit, teste *Laërtiô*; (*f*) neque enim satis erit, *sacram* illorum *purpuram adorare*. (*g*) In discessu cave dicas VALE; quam vocem ab humanissimo etiam *Augusto* signum familiaritatis pronuntiari non ignoras.

„ Quod ad *Cerimonias publicas* attinet, finge, TRIUMPHUM Imperatorium in tempora tua Romæ incidere: Videbis spec-

a. IV, 1, pr. & XX, 1. *b*. V. Plin. Paneg. XLVII, 3. *c*. V. Lamprid. in Severo c. 4, *d*. Id. c. 18. *e*. V. Jul. Capitol. c. 2. & Suet. in Calig. c. 56. *f*. L. II, §. 79. *g*. Vid. L. I. C. de Apparit. Præf. Prætor. l. 12.

„ tacula, quæ unus instar omnium *Ovidius*
„ in Libro quarto *Tristium*, Eleg. 2 osten-
„ tat. Finge, NATALEM Principis cele-
„ bratum iri: jam albatam aulam, jam festi-
„ vis acclamationibus, epulis & sacrificiis
„ omnia plena esse comperies; quæ honorum
„ genera KALENDIS JANUARIIS quo-
„ que haberi videbis. (*a*) Finge denique,
„ te LUCTUI Publico aut FUNERI Au-
„ gusto interesse: jam pullatam aulam & ur-
„ bem videbis, jam hinc equitum & Senato-
„ rum officia in funere Principis ornando cer-
„ tantia, illinc munera gladiatorum occupata,
„ istinc rostra Laudationibus personantia te
„ circumstrepent. Tu vero plura fingere jam
„ desine, & Vale.

* * *

Acceptâ hâc Epistolâ, cùm non ita multò post in congressum & colloquium Patroni mei venirem, memini illum mirari, quod inter *Cerimonias* Publicas de LEGATIS, quâ pompâ, quô apparatu illi ab Aula Romana excepti olim dimissique sint, se non erudiissem. Ego vero, Non est, inquam, quod horum mentionem in brevi mea tabula omissam mireris; quorum quidem publica admissio jam antiquissimis Reipublicæ adhuc liberæ tem-

a. V. Tacit. Annal. IV, 70, 1 sqq. Plin. L. X, epist. 44, & Caj. lege 233 de Verb. Signif.

temporibus eò honoratior quò infrequentior, quàm sub imperio Cæsarum fuit, ut auctor mihi est *Plutarchus* : (*a*) *Antiquitus Quæstores Legatis munera mittebant, quæ* Λαύτεια, Lautia, *dicebantur*, *ægrotantium curam suscipiebant*, *mortuisque funus e publico faciebant. Nunc autem ob multitudinem Legatorum, qui veniunt, sumtu omisso id tamen servatur, ut legati accedant præfectos ærarii, qui eorum nomina in tabulas referunt.* Adde quod Legatorum nomini ignobilitas eorum quandoque vilitatem afferebat : quo factum ab *Augusto* legimus, ut *Romæ Legatos liberarum sociarumque gentium vetaret in orchestra* (loco senatorum) *considere, cum quosdam etiam libertini generis mitti deprehendisset*, teste *Suetonio*. (*b*) Nimirum ad auctoritatem & honorem Legationis semper interest, homines mitti dignitate & gravitate præstantes, non tonsorem aliquem *Oliverium*, legatum *Ludovici* XI, quem, licet titulo *Comitis Onculani* ornatum, Andegavenses, cùm negotiorum civilium causa legationem apud se obiret, ludibrio habebant, imo in flumen, ut *Cominæus* (*c*) pro certo credit, projicere decreverant. Taceo de *Legatis Iliensium*, quos *Tiberius* eamdem ob caussam, ut opinor, tum sprevit, cum *his Paulo Serius* (post mortem filii Drusii) *consolantibus*,

a. Quæst. Rom. XLIII, p. 275. *b*. Cap. XLIV. *c*. Vid. Scip. Amirat. Dissert. Polit. Lib. XV, Disc. XIV, p. m. 242.

tibus, quasi oblitteratâ jam doloris memoriâ irridens, responderet, *se quoque vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent.* (*a*) Quo quidem ex loco *Suetonii* discas, jam antiquitus receptum fuisse illud *consolandi* officium, quo Legati hodieque in Aulis Principum lugentium utuntur. Denique si Reipublicæ Romanæ sub Imperatoribus florentis Majestatem & Amplitudinem, cui tum universus fere orbis servire credebatur, æstimaveris, haud quaquam mirum tibi videbitur, Legatos exterorum in modico honore apud terrarum Principes fuisse, cum Legatorum ipsi domini, quin etiam Parthorum reges, Romani imperii æmuli, subarroganter quandoque haberentur; quò referas illud *Taciti* (*b*) de Parthorum Legatis: *Igitur irriti a Nerone remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret, non frustra eadem oraturum Tiridatem* (fratrem regis Vologesis) *si preces* NB. *ipse attulisset.*

XI.

a. Sueton. in Vita Tiberii Cap. LII. *b.* Annal. XV, 25, 4.

IX.

ΘΗΡΙΟΜΑΧΙΑ *PAULI.*

Venerabilis quidam ſacrarum litterarum interpres, homo propter multas ingenii, eloquentiæ & virtutum ſuavitates mihi & bonis omnibus, quibus notus erat, multo cariſſimus, VERSUM XXXII EPISTOLÆ *Paulinæ* I *ad Corinthios*, ut ordo ferebat, pro concione expoſuerat. Placuerant mirifice cuncta, quæ ex Sirenis noſtræ ore ſive pectore exierant, ſi unum momentum excepero, de quo mihi cum illo non conveniebat. Nimirum verbum, ΕΘΗΡΙΟΜΑΧΗΣΑ, vir ille clariſſimus ita acceperat, ut Apoſtolus non dimicationem cum beſtiis ſubierit, ſed cum effrenatis hominibus, tanquam beſtiis, decertaverit, hinc in tumultu populi Epheſino, illinc in Diſputationibus, Epheſi per trimeſtre ſpatium cum Judæorum gente habitis, quæ Act. XIX commemorantur.

Peractis ſacris, cum domum quiſque repeteremus, obviam mihi fit Antiſtes, conſeruntur dextræ, ſermo de Θηριομαχία Pauli inſtauratur. Ille vero, ut commodiorem diſſerendi locum haberemus, domum me ſecum proficiſci jubet, & in Muſeum ſuum venire. His res ſeriò in diſceptationem vocatur. Summa hæc eſt.

Amicus Antiſtes primum de Stilo Paulino ejus-

ejusque consueta ἀκυρολογία me admonet: deinde eos, qui bestiariam Pauli pugnam propriè intelligunt, facilè sententiam mutare sperat, si locum II. Corinth. XI, 23 sqq. perpenderint, ubi Apostolus, quum in eo est, ut graviores vitæ suæ ærumnas enumeret, nullam prorsus θηριομαχίας mentionem facit, quam tamen, si hoc tam glorioso periculo perfunctus fuisset, factum iri Amicus non dubitabat: postea præstantissimorum quorumque interpretum auctoritates, quibus plurimum honorem haberi oportet, sententiæ meæ opponit: denique addit, in Historia Ecclesiastica apud *Eusebium*, apud *Hieronymum* (de Viris Illustribus) imo apud *Abdiam* (vel quisquis auctor sit *Historiæ Apostolicæ*) de vita Pauli, aliosve, quos ipse lectitaverat, scriptores veteres nullam hujus miraculi memoriam exstare, atque fidem proinde eorum negligentiæ tacitè accusari, si Paulus cum bestiis quadrupedibus verè congressus credatur.

Ad quæ ego verecundè me suscipere memini, primum quidem a propria significatione verbi, Ἐθηριομάχησα, citra necessitatem temere discedendum non esse, in primis cum inveteratum hoc supplicii genus sit, sontes ad pugnam bestiarum dare, sicuti *Ignatium* sub Trajano *leonibus*, (*a*) & Christianos sub Maxi-

a. Vid. Hieronym. de Vir. Ill. c. XVI, extr. p. m. 78.

Maximiano Galerio *ursis* (*a*) objectos legimus: deinde locum *Apostoli* II Cor. XI mihi eò minus adversari, quod Auctor addit, se *ἐν θανάτοις πολλάκις*, *in mortibus sæpe* versatum fuisse: postea adversus Interpretes uti & Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores mihi *Tertullianum* & *Nicephorum* adstipulari. Prolatus est uterque atque ex *illo* quidem hæc verba (*b*) prælecta: *Quid & nos, inquit* Paulus, *omni hora periclitamur? utique per carnem. Quotidie morior, utique periculis carnis, per quam & depugnavit ad bestias Ephesi: illas scilicet bestias Asiaticæ pressuræ, de qua in secunda ad eosdem:* (*c*) *Nolumus enim vos ignorare, fratres, de pressura nostra apud Asiam, quod superquam supra gravati sumus citra vires, uti de vita hæsitaremus. Omnia hæc, nisi fallor, eò enumerat, ut nolens vanam credi carnis conflictationem, indubitatè velit credi carnis resurrectionem. Vana enim habenda est ejus conflictatio, cujus nulla erit resurrectio.* Ubi vocem *Carnis* notari oportere monebam, quæ Græcum illum Pauli, *κατ' ἄνθρωπον* (minime *κατ' ἀνθρώπων*, uti emendandum censuit *Scaliger*) ita explanare videtur, ut non opus sit verbum *λέγω* subaudiri, quod nonnulli volunt, (*d*) quasi sensus sit: *Si, ut secundum hominem* seu

a. Lactant. de Mort. Persec. c. XXI. *b*. Lib. de Resurr. Carnis Cap. XLVIII, p. 417. *c*. II Cor. I, 8. *d*. Vid. Glass. Philol. Sacr. L. V, Tr. I. C. XI, p. m. 1770.

seu *humanitus loquar, adversus bestias pugnavi.* — Quæ interpretatio duriuscula & Paulo tortuosior videtur: deinde *Nicephorum* (*a*) Latinè ex *Joannis Langi* versione loquentem audimus, qui rem plenius narrat: *Qui profectiones Pauli descripserunt, quum quamplurima alia eum & fecisse & passum esse, tum hoc quoque quum Ephesi esset, de eo memoriæ mandârunt. Quum enim ibi principem locum Hieronymus obtineret, multa cum libertate Paulus est concionatus. Quare Hieronymus illum bene quidem & disertè dicere, sed orationem ejus non esse eorum temporum testatus est. Plebs quidem certè per insolentiam & furorem, Paulo compedibus injectis, carceri eum includit, ut leonibus vorandus objiceretur. Ibi tum Eubula & Artemilla, clarorum Ephesi virorum conjuges, fidem edoctæ a Paulo, (noctu enim ad eum veniebant) divini lavacri gratiam ab eo petunt. Itaque virtute divina atque angelici satellitii ministerio caliginem noctis exuberantiâ splendoris illustrante, Paulus ferreis compedibus liberatus, illas divino baptismo ad littus maris initiat; & quum id nemo omnium, quibus custodiæ cura mandata fuerat, sensisset, ad vincula rursum sua, in quibus leonibus esca asservabatur, redit. Sed enim ingenti magnitudine & robore intolerando leo contra ipsum immissus, in arenam quidem ille procurrit, sed mox ad pedes Pauli consedit. Et quum itidem aliæ immanes feræ immitterentur, ne*

a. Hist. Eccl. Lib. II, c. 25.

ne tangere quidem ullu sacrum corpus, ad orationem erectum atque compositum, sustinuit. His ita actis, derepente fragore multo vehemens quædam supra naturæ ordinem grando decidens, multorum simul & virorum & ferorum animalium comminuit capita, ipsiusque etiam Hieronymi aurem amputat; qui deinde cum suis per Paulum DEO conciliatus salutiferum suscipit lavacrum. Leo autem ille profugus; in proximos montes evadit. — Mirandum vero non est, Lucam hanc Pauli cum belluis pugnam reliquis ejus actis non inseruisse. Nam etiamsi ex Evangelistis solus Johannes Lazari resuscitationem commemorat, minus tamen de fide veritateque ejus ambigendum. Scimus enim, non omnes omnia scribere, credere & nosse.

Postremò cum DEUM ad Ephesios convertendos miraculis usum fuisse credibile est, facile ab his Scriptoribus, ut ab Antistite meo dissentiam, me adductum esse fatebar.

Finitâ disputatione, cum domum reversus fortè, Commentationem Viri Cl. *Bernhardi Raupachii* de *Rei Sacra & Litterariæ in Dania, Statu* quodam die pervolutarem, ex hoc Scriptore didici, jam a beato nostro *Lintrupio* Schediasma de *Θηριομαχίᾳ Paulina* A. 1659 editum esse, quod diu postea, sed hactenus frustra quæsivi.

XII.

Casus Conscientiæ Litterariæ.

SEdebam quondam in Museo meo, studebam, excerpebam quum amicorum quispiam mihi perjucundus perque familiaris advenit. Sedenti ad manum adjacebat apertum volumen, cui frequenter, quicquid novum in mentem venerit, mandare soleo. In hoc ille conjectis oculis cùm fore Titulum *Conscientiæ Litterariæ* conspicaretur, novitatem miratus, quid istuc rei & verbi sit, quærit? Respondeo, collectanea hujus loci affinia iis esse, quæ in *Sermone* IV, Part. I. de *Conscientia Philologica* dissserueram. Petit ille, Volumen meum in manus sumit; meditamenta, quæ consignaveram, oculus obit. Quibus quidem perlectis, quum, renidente vultu rudem & inchoatum Titulum approbare, mihique, ut paullò diligentius exsequar, tacitè suadere videretur, partem quandam otii huic negotio tribuere postea visum fuit, atque eò quidem libentius, quò magis hominem studiosum ante omnia bonum, ante omnes sapientem esse cupio. En quæsita cum subjectis sententiis:

I. *Num homo privatus, salvâ conscientiâ, patrimonium in libros & librorum ornamenta effundit*, Non magis, ut ego quidem arbitror, quàm

quàm in pictas tabulas, in vasa peregrina, in pretiosa sed supervacua supellectilis domesticæ spectacula. Damnosæ voluptatis genus est, librorum loculamenta tecto tenus exstruere, officinas librarias locupletare, imo tineas & blattas iis impensis pascere, quæ honestius vel bonis hæredibus relinquuntur, vel in pauperes atque amicos erogantur. Ego profecto rem familiarem eò usque minime claudendam volo, ut nulla utilitatis, nulla jucunditatis ratio eam aperire queat; sed neque ita reserandam, ut bibliopolarum avaritiæ pateat: illud improbi, illiberalis & profani patris familias est, hoc studiosi arrogantis, prodigi, insani. Quin libros in tantum emere oportet, ut nostros non vendamus, ut nostra non compilemus.

II. *Num, qui intemperantius studendo mortem approperat, αὐτοχειρίας absolvi potest?* Qui otii honestè consumendi causa litteris immoritur, is vero gloriosè meâ quidem sententiâ moritur: Qui pallorem ex chartis contrahit, is vero jam venerabiles quosdam canos in vultu gestat, quibus se diu vixisse probet: Qui valetudinem non quidem negligit, sed amori in litteras postponit, is vero excusari quodammodo posse videtur dictô illo *Hippocratis*, (*a*) apud *Basilium Magnum*: (*b*) Σφαλερὰν εἶναι

F 2

a. Aphorism. I, 3. *b*. de Leg. Gent. Lib. Cap. XIX.

εἶναι τὴν ἐπ' ἄκρον εὐεξίαν, *periculosam rem esse nimis bonam valetudinem.* De cetero quod Medici ex *Cicerone* (*a*) monent, *tantum cibi & potionis adhibendum esse, ut reficiantur vires non opprimantur:* idem Studiosis, ut ingenium sicuti ventrem ne nimis expleant rectè *Plutarchus*, (*b*) rectè *Horstius*, (*c*) rectè *Gesnerus* (*d*) aliique præcipiunt. Quæ causa est, quamobrem ego in studiis prorsus sicuti in victu illam diætam servare soleo, ut diem inter laborem & honestum otium dividam, ut diurnam lassitudinem horis vespertinis apud amicos ponam, eorumque suavitatem tanquam necessarium curis temperamentum interponam, ut denique lucubrationes, quæ succum ingenii, quæ sanguinem corporis ebibunt, quam maximè fugiam. Nihilo minus quum Rempublicam litterariam circumspicio, video, doctorum illos, qui litteris se abdiderunt, qui in lectitando aut scriptitando modum fere excesserunt, ad summam senectutem pervenisse. Ex hoc numero sunt πολυγράφοι illi apud *Isidorum*, (*e*) *M. Terentius Varro*, *Origenes* & *Augustinus*: ex hoc philosophi apud *Laërtium* (*f*) *Zeno*, *Xenophanes*, *Democritus*, *Aristoteles*, *Epicurus*, & *Chrysippus*, quos morbus scribendi tenuit: ex hox *Didymus* grammaticus,

a. de Senect, Cap. XI. *b*. Vid. Ὑγιεινὰ Παραγγέλματα. *c*. in Lib. de Tuenda Sanitate Studiosorum. *d*. In Instit. Rei Schol. *e*. Orig. VI, 7. *f*. Procem. § 16.

cus, qui *quatuor millia librorum ſcripſit*: (*a*) ex hoc denique recentiores *Aldrovandus*, *Lutherus*, *Melanchthon*, *Kircherus*, *Cardanus*, aliique quamplurimi, quos longo ordine *Bailletus*, (*b*) & ex Bailleto *Morhoſius* (*c*) recenſet. Quorum quidem annos & ſcripta qui computaverit, næ is tantum non dubitabit, mortem cuiquam ab immoderata mentis & ſtudiorum agitatione poſſe maturari; ſicuti *Huetius* ſtudentium vires otiô & vitâ ſedentariâ debilitari dubitat, imo planè negat. (*d*)

III. *Num piæ fraudes litterariæ in Conſcientiæ Judicio excuſationem habent?* Attendant Chriſtiani veteres, ſive Orthodoxi ſive Hæretici, ſive *Hermas*, (*e*) ſivè *Chriſtianus* aliquis *Alexandrinus*, (*f*) ſive alii, qui, ut mentes animosque gentilium caperent, adulterina quædam oracula Sibyllina veluti eſcam hamo impoſuerunt, eô ipſô conatu atque conſiliô veritati Chriſtianæ pernicioſiſſimi, quum philoſophi ſagaciores fraudem facilè ſubſenſerunt, uti ex *Lactantio*, (*g*) nequid de teſtimoniis *Origenis*, *Euſebii*, *Auguſtini* & aliorum dicam, ſatis conſtat: *His* ſibyllæ *teſtimoniis revicti* gentiles, *ſolent eò confugere*,

F 3 *ut*

a. Senec. Epiſt. 88 & Quintil. I, 8. *b*. In Libro de Judiciis doctorum, T. I. Part. II, c. 11. *c*. Polyhiſt. L. I, C. XXII, p. m. 264 ſq. *d*. In Commentario de Reb. &c. L. I, p. m. 17. *e*. Vid. Blondel. L. II, c. 7. *f*. V. Caveus P. II, H. Litter. *g*. IV, 15, 26.

ut ajant, non esse illa carmina Sibyllina, sed à nostris conficta atque composita; uti revera fuerunt, quum eorum nullum neque apud profanos Scriptores ante nativitatem Christi, nec apud Apostolos invenitur, qui profecto, si vera fuissent, si iis temporibus exstitissent, eorum auctoritatem advocare, aut certè mentionem facere haud quaquam omisissent.

Attendant porro malè Seduli illi veteris Ecclesiæ Scriptores, qui, decepti nescio an decepturi, tot nova Evangelia, tot miraculorum & fabularum portenta de Christo, Apostolis & Sanctis in litteras relata reliquerunt.

Hi, inquam, quum Ecclesiam mendaciis impleverint, quum superstitiones & errores in Rempublicam Litterariam infuderint, quum virginitatem, ut ita dicam, S. Scripturæ & Historiæ haud raro temeraverint, injuriarum crimine se obstrinxisse mihi videntur, eoque multò graviori quàm vel *Joannes* ille *Annius Viterbiensis*, qui scripta *Fabii Pictoris*, *Catonis*, *Berosi*, *Manethonis*, *Philonis*, aliorumque sub finem Seculi XV audacter confinxit: vel *Carolus Sigonius*, *Curtius Ingbiramius*, *Alphonsus Cicarellus*, alii, qui parem fumum vendidere: vel denique Falsarii isti veteres, qui, cum Attalicos Reges librorum veterum cupidissimos esse cernerent, lucri causa libros, illustrium scriptorum nomina mentientes, certatim conscribillabant, ad aulas deferebant, atque ita primi vitium pravæ Suppositionis in-

inducebant, cum ante id tempus nullum opus falsò inscriberetur, ut auctor est *Galenus.* (*a*)

IV. *Num bene de Sacris Libris merentur, qui variantes horum Lectiones vel ex MSStis conquirunt, vel ex ingenio extundunt?* Pessime, ut ego quidem opinor, pessimè: Hi Pyrrhones quidam Christiani esse mihi videntur: hi hæreses sæpe vel augent vel confirmant. Valeat cum suis N. T. Lectionibus *Jo. Millius*, qui lectorem in medio incertum relinquit, adversarium præter alios *Danielem Whitby* S. T. P. & Ecclesiæ Sarisburiensis præcentorem (*b*) nactus: Valeat *Steph. Curcellæus*, quem in sua Dissertatione (*c*) jam Vir Clar. *Jo. Gottlieb Möllerus* castigavit: Valeant cuncti male feriati grassatores litterarii, qui scripturam veterem vel immutare, vel transversum unguem ab illa discedere ausint. Hi profecto non levius peccare mihi videntur, quàm vel sacrilegus ille *Marcion*, qui *Lucam* pro lubitu correxit, interpolavit, depravavit: (*d*) vel *Aquila*, qui sacras litteras adulteravit, testimonia de CHRISTO obscurare conatus: (*e*) vel denique *Lanfrancus* ille, Benedicti-

 nus

a. Comment. I. in Hippocratem de Natura Hominis, p. 127. *b.* Cujus *Examen Variantium Lectionum* Londini 1710 fol. prodiit. *c.* Edita Rost. 1696, 4. *d.* Vid. Tertull. L. IV adv. Marc. c. 5 sq. *e.* Vid. Theodor. Metochit. pag. 92.

nus primum Monachus, deinde Cantuariensis Archiepiscopus, cujus in vita cum Operibus ejus edita Lutetiæ Anno MDCXLVIII hæc leguntur: *Quia Scripturæ, Scriptorum vitio, erant nimium corruptæ, omnes tam veteris quàm Novi Testamenti Libros, nec non etiam Scripta SS. Patrum* SECUNDUM ORTHODOXAM FIDEM STUDUIT CORRIGERE. (*a*)

V. *Numquæ religio vetat Scripturam Sacram cum profana conferre?* Quodsi *& in Moyse & in Prophetarum voluminibus quædam de gentilium libris assumta sint*, ut ait *Hieronymus*: (*b*) Quodsi doctiores melioresque Ecclesiæ Patres, exemplô divinissimi *Pauli*, sacris oraculis & testimoniis dicta factaque philosophorum gentilium miscere non dubitaverint; quos secuti sunt postea viri Clarissimi, *Phil. Melanchthon* in Scholiis ad Proverbia Salomonis, *Grotius* in Commentariis Criticis Bibl. alii: Quodsi hi, inquam, tanti magistri majestatem S. Scripturæ, quam cum profana sæpius contulerint, polluisse non videantur: jam ego culpa vacare videor, qui olim in *Cogitationibus* meis *Variis Philologicis*, (*c*) inter cœlestem Salvatoris apud *Matthæum*, & *M. Antonini* humanam philosophiam comparationem quan-

a. Conf. Jo. Cleric. Crit. P. III. S. 1. C. I. § 17. p. m. 11. *b*. In Epistola LXXXII ad Magnum Orat. p. m. 109. *c*. p. 45 –.

quandam institui, paullo inclementius proinde a doctissimo *Joanne Laur. Moshemio* exceptus, qui (*a*) ***detrimenti aliquid magnificam de*** CHRISTI ***legibus opinionem ex ista comparatione posse capere sentit.*** Tu vero, Clarissime ***Moshemi***, memento primum, præcepta Antonini, quæ adduxi, ejus naturæ esse, ut non modò optimum quemque, Christianum in sui admirationem convertere, sed & pessimum quemque, qui CHRISTO minus credit, in ruborem dare eò magis queant & debeant, quod ab homine gentili & veritatis experte tradita fuerint: deinde finge, quæso, magnum hunc ***Philosophum*** esse CHRISTI vel hostem, vel discipulum, vel interpretem: si ***hostem*** fingas, jamne suave est, sanctissimas hujus leges ab illo tacitè accipi, approbari, commendari, quum ***σεμνὴ ἡ παρὰ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία*** sit, ut ait *Isidorus Pelusiota?* (*b*) si ***discipulum:*** jamne pudebit me, Antonini condiscipulum non esse? jamne ex hoc discam, de tanto præceptore ejusque præceptis gloriosius & magnificentius existimare? si ***interpretem:*** jamne & utile & jucundum est ***Antoninum*** audire, qui velut a CHRISTO edoctus ***etiam inimicos diligi*** jubet, (*c*) quia ***cognati sunt***, quia ***paulo post nobiscum fato concessuri sunt***, &c. quod quidem amoris officium ***solorum Christianorum esse Tertullianus*** arbitratur? (*d*) jamne ad præceptum

 fal-

a. Obs. Sacr. L. I, C. I, § XVII, pag. 66. sq. *b.* L. II, Epist. 228, & L. III, Ep. 335. *c.* L. VII, § 22. *d.* ad Scap. cap. 1.

ſalvatoris de *buccina in eleemoſynis erogandis non adhibenda*, bellè & commodè applicari poteſt illud Philoſophi, hominem *viti ſimilem eſſe* oportere, *quæ ubi racemum tulerit, fructumque ſibi proprium dederit, nihil ulterius requirit: ſicuti equus, ubi cucurrerit, canis venatus fuerit, apis mel confecerit: ita illum ubi bene fecerit, non clamore proſequi, ſed ad aliud ejusmodi opus ſe conferre, quemadmodum vitis ad racemos alios denuo ſuo tempore producendos?* (*a*)

VI. *Num boni ſcriptoris eſt vel ad criminationes vel ad pravorum hominum laudationes eloquentiam conferre?* Fateri pudet, ex omni animalium genere humanùm, ex humano Chriſtianum, ex Chriſtiano litteratum genus quam maximè invidum pugnax, iniquum eſſe: unde tot injuriæ, calumniæ, querelæ, probra, quibus jus humanitatis & honeſtatis turpiſſimè violatur. Sed & fateri pudet, pleroſque Chriſtianorum tam prodigos ingenii & eloquentiæ ſæpe eſſe, ut peſſimum quemque lucri vel adulationis cauſâ ambitioſô Panegyricô ornare haud venerantur, ſimiles *Favorino* & *Libanio* ſophiſtæ, qui *Therſitæ*, item *Iſocrati* & *Polycrati*, qui *Buſiridis*, laudes (*b*) ſcripſerê; ſimiles ſutoribus, qui parvo & deformi pedi magnum & rectùm calceum aptant, ut dixit

a. L. V, §. 6. *b*. V. Gell. XVII, 12. Serv. ad Virg. Georg. III, 5, & Quintil. II, 17.

dixit quondam *Agesilaus.* (*a*) Certè inprobum nemo nisi improbus temere laudaverit; unde virtutis contemtus, veritatis & fidei historicæ depravatio, fabularum & mendaciorum propago: ficuti *Cicero* (*b*) *historiam rerum* per *Laudationes mendosiorem factam* fuisse queritur.

XIII.

Acta Convivii cujusdam Philosophici.

MOs Græcorum veterum, qui ingenuas artes profitebantur, perlepidus fuit, ut in Museis, in cœtibus, in conviviis familiaribus temporis honestè utiliterque traducendi caussa quæstiones, non quidem remotas sed minutas & jucundas sortirentur. Testis est *Plutarchus*, (*c*) in quo hæc legere me memini: Ἔθους δὲ ὄντος ἐν τοῖς μουσείοις κλήρους περιφέρεσθαι, καὶ τοὺς συλλαχόντας ἀλλήλοις προτείνειν φιλόλογα ζητήματα, — *Ceterum quum moris esset in Museis, ut sortes circumferrentur, & qui inter se componerentur, alter alteri eruditas quæstiones proponeret,* ——: Testis itidem *Gellius*, (*d*) qui de se ipso & compluribus amicis hæc scribit: *Saturnalia Athenis agitaba-*

a V. Plutarch. Apophth. Lac. sub init. p. 208. *b.* in Bruto c. XVI. Conf. Liv. Lib. VIII, cap. 40. extr. *c.* Sympos. Lib. IX, Quæst. II, sub init. *d.* L. XVIII, c. 2. Conf. VI, 13.

tabamus hilarè prorsum & modestè, —— Conveniebamus ad eandem cœnam complusculi, qui Romani in Græciam veneramus. —— tum qui cœnulam ordine suo curabat, præmium solvendæ quæstionis ponebat librum veteris scriptoris vel Græcum vel Latinum, & coronam e lauro plexam, totidemque res quærebat, quot homines istic eramus, quumque eas omnis exposuerat, rem locumque dicendi sors dabat. ——

Hunc morem quidam nostratium Philosophorum, homo festivissimus, imitari, ut videtur, volens, ad cœnam me & complures alios vocat: cui ut suum condimentum ne deesset, acroamata adhibuit *quæstiones* quasdam *convivales*, quas singulis convivarum patellis latenter supposuerat. Accumbi cœptum fuerat, cum suum quisque orbiculum loco movere jubetur. Quô factô, & materiâ dicendi, quam hospes imperaverat, conspectâ, jam impigrè paretur, jam novum hoc oblectamenti convivalis genus cupidè a nobis excipitur. Ego verò, ut aliis perjucunda hæc cœnula exemplo esset, Quæstiones universas cum definitionibus suis memoriæ & litteris mandabam, quarum hæc exempla sunt.

Cur feminæ loquaciores sunt Viris?

Feminarum ora ædibus, quæ fores non habent, similia prædicari audio, nec miror; quum nullis tacendi legibus continentur: quum nec in senatu, neque in clandestinis

Rei-

Reipublicæ consiliis huic disciplinæ adsuescunt: quum garrulitas mulicbris eam ubique impunitatem & licentiam habet, ut judicem parum reformidet. De cetero hoc vitium huic sexui naturale non esse, quin imo feminas non minus quam Viros secreti, ubi opus fuerit, vel capacissimas esse, jam ab omni memoria tot regnatrices Augustæ, quæ arcana imperii quam callidissimè diligentissimeque celaverunt, docent.

Quid est Doctor Logicæ?

Est artifex mirificus, qui pharmacum Democriti habet. Hic ex bene videntibus cœcos, ex loquentibus mutos, ex sanis insanos facit: imo, quod mireris, Hic adhibitis in cantamentis, BARBARA, CELARENT, &c. ex mortuis viventes, ex duabus syllabis octo, ex sinistro dextrum; ex carcere cœlum facit, hoc pactô:

Nullum vivens est mortuum.
O. Homo est vivens, E.
N. Homo est mortuus.

Constantinopolitanus est homo.
Constantinopolitanus constat octo syllabis, E.
Homo constat octo syllabis.

Omnis hominis alter oculus est dexter.
Omnis hominis alter oculus est sinister. E.
Sinistrum est dextrum. *Pau-*

Paulus raptus fuit in cœlum.
Paulus raptus fuit in carcerem, E.
Carcer est cœlum.

Cur nulla fere virtus apud Latinos est masculini generis, plereque omnes feminini?

Factum hoc est, tum quod Latinis, uti & Græcis aliisque gentibus, nihil feminino generis amabilius suaviusque visum est: tum ut solatium quoddam Grammaticùm feminæ adversus eos habeant, qui *vitia* generis feminini esse objectant. Scilicet quum sexus muliebris virilem & virtutibus & vitiis vincit, jam æquum fasque videtur, & *illas* & *hæc* ejusdem sexus grammatici esse, nempe feminini.

Quid est Orbis Litteratus?

Est Forum Nundinarium, tabernis, mercibus, institoribus plenum: in quo *Theologus* pannùm, qui panem & calorem præbet, vendit: *Criticus* nebulas lineas & ventos textiles, qui frigus relinquunt: *Philologus* vestes pictas, vasa Corinthia, marmor Phrygium: *Medicus* litteras & Syllabas: *JCtus* homines: *Alchymista* se ipsum: *Poëta* fumum: *Orator* fucum: *Historicus* famam: *Physicus* cœlum & terram: *Antiquarius* obsoletas crepidas, sicuti *scrutarius* ille Lucilianus (*a*) *præfractam strigi-*

a. Vid. Gell. III. 14.

lem & soleam dimidiatam. Hos mercatores, quoquò oculos circumtuleris, male feriata circumforaneorum, quos vulgus *idiotas* vocat, turba circumstat: in hoc foro Sectores Zonarii, vulgo *Plagiarii*, grassantur, Ætruscatores, gallicè *Charlatans*, prodigia venditant, Provocatores ebriosi vias infestant.

Cur puellæ citius quam Pueri maturescunt?

Quia *illæ* quam *hi* citius deflorescunt, jam supra annum quinquagesimum effoetæ. Utrumque sapientissimo naturæ consiliô factum, tum ut ne mundo humanum genus, tum ut ne humano generi mundus desit.

Cur intra quam extra patriam habitare malumus?

Quia matrem omnes quam novercam malumus. Peregrinari suave quidem est, & rem cùm Roma tanquam cùm meretrice habere: quam nemo tamen nisi vel impudicus vel ab solo patrio extorris uxorem temere duxerit.

Quid inter doctum & indoctum scriptorem interest?

Quod inter succi plenum virum & salacem eunuchum: quorum ille foecundum, hic exsangue semen emittit: ille hæredes relinqnit, hic sibi ipsi hæres est.

Cur

Cur majores nostri templa sua Laurentio, Lamberto, Catharinæ, &c. *non Moysi, non Eliæ*, &c. *dedicarunt.*

Quia *illi* de Nobilibus Ecclesiasticis sunt, quos Pontifex Romanus creavit: pro *his* nemo pretium canonisationis persolvit.

Quodnam morbi genus omnium frequentissimum?

Diarrhoea: quæ non modò in alvis sed etiam in linguis humanis grassatur, maximè Gallorum & Germanorum; quarum in comparatione nostrates aliæque *Obstructione* quadam laborant.

Quænam sunt rariora naturæ animalia?

Dives, fortunâ suâ contentus: *Ingenio excellens*, vitiis non excellens: *Aulicus*, senex: *Doctus*, qui se ipsum didicit: *Semidoctus*, scientiæ persuasione non sufflatus: *Virgo*, quæ sibi non placet & formosa videtur: *Causidicus*, non venalis & prævaricator.

XIV.

Ambitioſum, cadaver Philoſophicum.

SEdebam in Auctione quadam libraria inter complures litteratos, cum Epiſtola amici cujuſpiam Cantabrigienſis, anno 1730 menſe Septembri ſcripta, ad me affertur, quæ non mediocrem nobis admirationem afferebat. Nimirum in illa hæc relata legebantur: „ Non
„ ignotus tibi eſt Vir Clariſſimus *Robertus*
„ *Greenius*, Aulæ noſtræ, quæ *Clarehall* no-
„ minatur, Socius, quem doctrina ſua Phy-
„ ſica, ſeptem libris Cantabrigiæ a 1727 in
„ folio editis comprehenſa, in primis nobili-
„ tavit. Hic ſupremum diem nuper inter nos
„ obiit, relictô teſtamentô, quô dictæ Aulæ
„ & Bibliothecam & bona ſua legavit, eâ
„ quidem conditione, ut focii ſuperſtites re-
„ liqua ingenii ſui monumenta in vulgus e-
„ dant, ad hoc oſſa ſua ad ima Bibliothecæ
„ ante libros ſuos collocaturi. Nihilo minus
„ Academici noſtri contra teſtamenti aucto-
„ ritatem Philoſophum humo perhonorificè
„ mandaverê, minus conſultum rati, exu-
„ vias hominis, ut ſpectaculum poſteritati
„ præbeant, in manus Anatomicorum tra-
„ dere. —"

His in conſeſſu recitatis, cunctisque, qui aderant, & *Roberti* legem mirantibus, & conſilium Academiæ approbantibus, cùm ego

Xenophontem ex auctione manu forte tenerem, contrarium *Cyri* morientis mandatum, quod mirificè ſemper mihi placuit, in memoriam redit. Locum proinde in *Xenophonte* quæro, invenio, ceteris legendùm præbeo, cujus verba in Libro VIII. pag. 187. edit. Baſ. 1569. fol. in Oratione ſuprema ad filios hujusmodi exſtant: Τὸ δ' ἐμὸν σῶμα, ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω, μήτε ἐν χρυσῷ θῆτε, μήτε ἐν ἀργύρῳ, μηδὲ ἐν ἄλλῳ μηδενὶ, ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε. τί γὰρ τούτου μακαριώτερον τοῦ γῇ μιχθῆναι, ἣ πάντα μὲν τὰ καλὰ, πάντα δὲ τἀγαθὰ φύει τὲ καὶ τρέφει; - - - εἴ τις οὖν ὑμῶν ἢ δεξιᾶς βούλεται τῆς ἡμῆς ἅψασθαι, ἢ ὄμμα τοὐμὸν ζῶντος ἔτι προσιδεῖν ἐθέλει, προσίτω. ὅταν δ' ἐγὼ ἐγκαλύψωμαι, αἰτοῦμαι ὑμᾶς, ὦ παῖδες, μηδεὶς ἔτ' ἀνθρώπων τοὐμὸν σῶμα ἰδέτω, μηδ' αὐτοὶ ὑμεῖς. Quæ *Jo. Lewenklaius* Latinè ita interpretatur: *Ceterum corpus meum, ô filii,* (inquit Cyrus) *quum diem in terris ſupremum clauſero, nec in auro condite, nec in argento, nec ulla in re alia, ſed terræ quam primum reddite. Quid enim beatius, quam in terram abdi, quæ omnia præclara, bona omnia profert ac nutrit? —— Quamobrem accedat, ſiquis veſtrum vel dextram meam vult contingere, vel oculos viventis adhuc intueri. Ubi verò obvelatus fuerò, ne quis hominum, ô filii, corpus meum videat, ac ne vos quidem ipſi, etiam atque etiam oro.* Pleriſque non minus quam mihi hæc Cyri oratio, hæc obteſtatio ſapientiſſima videbatur, qui glor. mem. FRIDERICO

noſtro

noſtro IV. (huic autem ſanctiſſimo Principi dies natalis, XI Octobris, eodem anno, nempe 1730, nuperrimè emortualis fuerat) id itidem piæ laudi tribuendum, cenſebant, quod moriens cadaver ſuum ſpectaculo eſſe, ut fieri aſſolet, vetuerat, cadaver uſque eo deſiderabile, ut ſi cui civium Danorum amabilis illius imago in animo, in memoria, in oculis non conſtanter hæreat, huic animum perire, huic memoriam exſtingui, huic oculos effodi oporteat; quum majorem melioremve FRIDERICO noſtro Principem nec adulatio confingere potuiſſe videatur.

Deinde, dum auctio geritur, per varia Sepulturæ Philoſophicæ genera haud vulgaria itur. Sic alius *Diogenem* ridebat qui a *Xeniade* rogatus, *Quemadmodum ſepeliri mallet?* Ἐπὶ πρόσωπον, *In faciem*, reſpondit: (*a*) alius de *Pythagoricis* & *M. Varrone*, qui *modò Pythagorico in myrti & olea atque populi nigræ foliis condi maluit*, (*b*) meminit: hic *Periandri*, qui *ſepulchrum ſuum ignorari voluit*, conſilium quod apud *Laërtium* (*c*) legitur, mirabatur: ille mandatum *Solonis* (*d*) referebat, qui *in Cypro moriens, præcepiſſe ſuis traditur, ut oſſa ſua Salaminem transferrent, atque in cinerem redacta per provinciam diſſeminarent*; unde verſus *Cratini*, in quo Solon ſic loquens inducitur:

G 2 Οἰκῶ

a. Vid. Laërt. L. VI, § 32. *b.* Plin. Hiſt. nat. L. XXXV, c. 12. *c.* Lib. I, § 96. *d.* Ibid. § 62.

'Οικέω δὲ νῆσον, ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος,
'Εσπαρμένος κατὰ πᾶσαν Αἴαντος πόλιν.

Egò hanc, ut ajunt homines, insulam colo,
Sparsus per omnem Ajacis urbem strenui.

Iste denique *Brachmanas* memorabat, qui in ardentes rogos se conjicere solebant: memorabat, *Zarmanochegam*, quem *Strabo* (*a*) ridentem, nudum & unctum in rogum isse testatur, posteaque hac sepulchri inscriptione memoriæ commendatum: ΖΑΡΜΑΝΟΧΗΓΑΣ ΙΝΔΟΣ ΑΠΟ ΒΑΡΓΟΣΗΣ ΚΑΤΑ ΤΑ ΠΑΤΡΙΑ ΙΝΔΩΝ ΕΘΗ ΕΑΥΤΟΝ ΑΠΟΘΑΝΑΤΙΣΑΣ ΚΕΙΤΑΙ. i. e. HIC JACET ZARMANOCHEGAS INDUS, E BARGOSA, QUI SECUNDUM PATRIAM INDORUM CONSUETUDINEM SE VITA EDUXIT. Quo quidem Indorum exemplo idem *Peregrinum Proteum*, Philosophum Atheniensem, ut flammæ sepeliendum se traderet, adductum fuisse prædicabat. (*b*)

Hunc sermonem unus nostrûm claudebat versu *Crantoris* Philosophi, qui interrogatus, ubinam sepeliri mallet, respondisse fertur, (*c*)

'Εν γῆς φίλης μυχοῖσι κρυφθῆναι καλόν.

In terræ amicæ latebris condi juvat.

XV.

a. Lib. XV, p. m. 1048. *b.* Vid. Luciam. T. II. Opp. p. m. 587. sq. *c.* Laërt. Lib. IV, § 25.

XV.

De superstitiosæ Pietatis Servitute.

ANnus est, quum in ædibus Clarissimi cujusdam Parochi, longo usu mihi conjunctissimi, prope Ripas nostras officia nuptiarum celebrarentur, uno ex Collegis meis matrimonium cum maxima natu filiafamilias ineunte. Fors fuit, ut ego & Parochus quidam alius, qui nimiæ pietatis suspicionem habebat, junctim ad mensam locemur. Diu ego, qui tum in frequenti convivio, tum inter ignotos parcius verba facere soleo, linguam contineo, animo & auribus in concentus musicos præcipuè conversis. Alter intellecto, me hujus acroamatis suavitate nimium quantum delectari, jam me affatus, psallentium artificum peritiam in arte sua collaudat, ad hæc significans, suos quoque sensus admiratione Musicæ non parum mulceri. Novum perque mirum mihi visum est hoc studium in homine severo, haud aliter ac in Stoicis antiquioribus, de quibus *Quintilianus* (*a*) ait: ***Et ejus secta, quæ aliis severissima, aliis asperrima videtur, principes in hac fuere sententia, ut existimarent, sapientum aliquos nonnullam operam his studiis*** (musicis) ***accommodaturos.*** Initio adeo colloquendi facto, cum sermonem segregare quam suavissimos sonos perdere

 mal-

a. Lib. I, Cap. 10.

mallem, incredibilis viri humanitas, ut me avocari paterer, blandè invitabat. Atque primorem quidem dicendi materiam nobis tum præbebat Præpositus S.. homo albus nescio an ater, (nam Theologorum alii hoc, alii illo colore ipsum depingunt) cujus nomine ille salutem mihi dixit. Quo officio perhonorificè excepto, cum bonum hunc virum mihi nisi nomine tenus atque ex rumoribus vulgi notum non esse faterer, tum vero ille, quasi ad ornamentum vitæ & felicitatis meæ interesset hujus amicitia frui, dolet, me tanto viro conciliatum non esse, quo, ut prædicabat, nihil in vita emendatius, in sacra eloquentia excellentius, in doctrina sanctius Ecclesia voto fingere queat. Ego contrà dolebam, hominem in id vitium delapsum esse ut commutationes & consilia per epistolas cum duobus Fanaticis, uno Hamburgensi, altero Mecklenburgensi prope Rostochium faceret, quorum litteræ nuper in manus meas per errorem inciderant. Quo audito Parochum meum immodicæ laudis, qua Præpositum suum in cœlum extulerat, jam pudere videtur, pudorem silentium sequitur. Tandem sublata mensa, cum ille me nihil agere videret, accedit, sermonem instaurat, narrat, jam sanctissimi Præpositi sui opera factum esse, ut pleraque vitiorum T.. ensium sentina exhausta ejectaque esset, jam nuptias & convivia urbis salubriter agitari, jam saltationes, ludos & id genus animi remissiones, quæ antea in deliciis fuerant,

tant, apud pleroque civium in invidia esse cœpisse. Gratulabar, collaudabam virtutes antistitis, fatebar, hujus religionem inpense mihi placere, superstitiones non placere, quæ tam duras abstinentiæ leges, tam gravem servitutem affectibus humanis imponant, ut, qui parent, hi ex numero viventium exire videantur, antequam moriantur: addebam, Juris divini Codicem perfectiorem esse, quam ut humano quoquam additamento indigeat, nullamque vitam esse vitalem, nisi tam fructum ex jucunditate, quam utilitate percipiat, quas rationes ipsa natura generi humano tradidit. Tum alter, Atqui, inquit, minimè novum est, quod Præpositus meus imperat: quin jam olim Patres Ecclesiæ in *Concilio Laodicensi* (*a*) censuerunt, *Non oportere Christianos ad nuptias euntes saltare:* item in *Concilio* VI. *Constantinopolitano*, (*b*) *Nullum sive Clericum sive Laicum alea ludere*; Qui *secus fecerit*, *excommunicari:* nec non in *Concilio* III. *Carthaginensi* (*c*) *Ab spectaculo seculari omnes Christianos esse prohibendos.* Ad quæ ego, Non opus est, inquam, auctoritatem Patrum advocare, quum & inter ipsos gentiles non defuere, qui idem suaserunt. Sic *Cicero* (*d*) docet, *sobrium neminem fere saltare:* sic *Caligula* probrosè *saltator* vocatur a *Suetonio*, (*e*) & *Muræna* a *Catone*. (*f*) Sic *Domitianus Quæsto-*

a. Cap. 53. *b.* Can. 50. *c.* Cap. XI. *d.* Mur. cap. 6. *e.* Cap. 54. *f.* Cic. Loc. cit.

storium Virum, quod saltandi studio teneretur, senatu movit. (*a*) Quod ad *aleam* attinet, quis nescit, etiam Romanis legibus hanc vetitam fuisse? unde *Ovidius:* (*b*)

Sunt aliis scriptæ, quibus alea luditur, artes:
Hæc est ad nostros non leve crimen avos. &c.

Quid multa? Nihil fere hujusmodi S... tuus moneat, quod non jam ante Christianorum tempora sapientiores quidam gentilium monuerunt. Hos vero non proinde usque eo sequendos arbitror, ut honestas voluptates, quæ honestè adhibentur, fugiam: quin, dum alii pedibus saltant, ego oculis salto, id est, commodè saltantem Epaminondam (*c*) libenter specto, ipse tamen a tenera ætate ad ludicram hanc disciplinam indocilis, ideoque indoctus & abstinens; dum alii alveis aut chartis lusoriis otium fallunt, hominem non fallunt, ego spectatoris personam in hac scena libenter suscipio, nunquam nisi officii caussa, actoris. Certè, ut mea quidem fert sententia, ab immodica illa abstinentia & nimia pietate primus gradus est ad Pharisaismum, ut vocant, secundus ad pravam innocentiæ & sanctimoniæ persuasionem, tertius ad seditiones in Republica, imo imperiorum sæpe mutationes. *Seditiones?* suscipit alter: *imperiorum*

a. Sueton. c. 8. *b*. Trist. L. II, ℣. 471 ——
c. Nep. Præfat. & XV, 1, 1.

rum mutationes? Imo vero (pergo) nullus, crede mihi, periculosior hostis Reipublicæ quam novus religionum architectus. Vis exempla? Vide, quæso, quæ *Lipsius* in *Politicis* suis (*a*) annotavit; ubi porro Principes, ut ab hoc hominum genere sibi quam diligentissimè caveant, seriò monet & hortatur. Denique super imperio *Religionis* in facta & dicta humana ego ita sentio: RELIGIO, venerabile illud numen, non est Tyrannus, qui cæde & sanguine gaudet, qui metui a suis vult, qui multiplici vernilium officiorum honore se coli jubet: est pius quidam Princeps, qui veras in homine virtutes, maximè fidem & publicam & privatam, requirit, qui diligi a suis vult, qui assentatores odit. DEUS nos mortales in hanc vitam non tanquam in pistrinum quoddam compegit, ut nostri nosmet pœniteat: quin ingenui nati sumus, honestam libertatem a natura dotem vitæ nacti. IDEM, si sensus & affectus nostros jucundi expertes esse voluisset, jam spectacula *Pavones* & *Pardos*, Sirenas *Luscinias* & *Cassitas*, mimos *Simias* & *Psittacos*, non condidisset: jam agellos hortosque nostros amœnis floribus non vestisset: jam venustas & speciosas formas in genere humano non finxisset: unô verbô, jam supra ferarum sortem nos non evexisset. ut proinde tristes illi Philosophi male de societate humana me-

 reri

a Lib. IV, Cap. II, p. 13.

reri videantur, qui innoxias & Christiano homine haud indignas voluptates indignè proscribunt, similes ægrotantium quibusdam, qui omnia potius quàm risum circumstantium ferunt, omnia potius quàm hilaritatem æquô animô intuentur.

XVI.

De Senectute Mundi.

CUm Academico quodam veterano, qui pleraque Philosophorum veterum decreta cognita comprehensaque animô habebat, certamen mihi de Ætate Mundi nuper erat, quum ille, seriò nescio an tentandi causâ, de Chronologiæ Christianæ veritate nonnihil dubitare se fateretur, adductum in primis auctoritate tùm *Turdetanorum* veterum in Hispania, de quibus *Strabo*, (*a*) Τῆς παλαιᾶς μνήμης ἔχουσι τὰ συγγράμματα, καὶ ποιήματα, καὶ νόμους ἐμμέτρους ἑξακισχιλίων ἐτῶν, ὥς φασι· *Antiquitatis monumenta habent conscripta, ac poemata, & leges metris inclusas, a sex millibus annorum, ut ajunt:* tum vel maximè fide Scriptorum *Chinensium*, qui multo remotiorem annorum memoriam, quam quæ ex Mose in S. S. colligitur, in fastis suis consignatam habent, haud temere, ut putabat, in dubium

a. Lib. III, p. m. 204.

dubium vocandam, quum Historiarum humanarum nulla certior quam Chinensis sit, ut proinde *Martinus Martinius*, (*a*) diligentissimus memoriarum Chinensium explorator, hanc difficultatem, quam nullâ ingenii vi consequi potuit, injudicatam relinquere coactus fuerit. Ad hæc ego monebam, callidè a *Strabone* l. c. ne nimium credulus videatur, subjici illud, *ὥς φασι, ut ajunt:* deinde tot imperii Hispani mutationibus, tot gentium migrationibus, hæc sex mille annorum spatia non congruere, studiumque historicum multo recentius esse, quàm ut tot secula supra ætatem Mosis, qui primus illud condidisse videtur, transcendat: denique *Strabonem* in ea forte sententia esse, quam *Orpheus*, quasi in ludo *Eliæ* & Rabbinorum edoctus, tradit apud *Platonem*, (*b*)mundum *in sexta ætate*, *Ἕκτῃ ἐν γενεᾷ*, finitum iri. Postea quod ad *Chinenses* attinet, quum his opposuissem, quæ immortalis *Jo. Fr. Buddeus*, (*c*) erudite disputat, addebam, non ita firmam esse annalium Chinensium fidem, si vera sunt, quæ *Spizelius* (*d*) memoriæ prodit: *Imperator sinensium Chingus seu Xius, extremæ ambitionis homo, quo priorum Imperatorum omnium extingueret memoriam,*

a. Vid. Morhof. Polyh. Philos. L. II, P. I, C. XI, p. m. 321. *b*. In Philebo sub. fin. p. m. 94. *c*. In Historia Eccles. V. T. pag. 82. *d*. De Re Litter. Sinens. Vid, *Jo. Lomeier.* de Bibliothecis Cap. XI, p. m. 234.

riam, famamque apud posteros solus obtineret, edicto publico omnes libros sinicos exuri jussit. Exustionis hujus (quæ ante Christi epocham anno 215 contigit) auctorem Lisuum faciunt, — &c.

Ex hoc sermone in alterum *de Senectute Mundi* delabimur, cum Philosophus meus, Epicurum, Stoicos aliosque veterum sequutus, minimè dubium sibi esse affirmaret, quin Natura rerum *anus decrepita* esset, sicuti Christo visa quondam fertur in fabulis Mohamedanis: (*a*) quin languidior ad generandum multoque debilior hodie sit, quàm recenti adhuc ætate, viribusque jam olim in ipsa adolescentia & juventute integris. Quam in sententiam ut me perduceret, auctores approbatoresque proposuit *Aristotelem*, (*b*) *Hipparchum*, (*c*) *Leucippum*, (*d*) *Democritum*, (*e*) *Lucretium*, (*f*) *Senecam*, (*g*) sexcentos alios, haud prætermisso dicto *Davidis:* (*h*) *Cœli peribunt, tu autem permanes ; & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.*

Ego vero, naturam mutationibus obnoxiam esse haud inficiatus, alteram illam de effœto Mundi senio sententiam virtute & Providentia

a. Vid. Fabricii Cod. Apocr. N. T. Part III, p. 395. *b*. Lib. I, Meteor. Cap. 14. *c*. Vid. Columel. L. I, Cap. I. *d* Vide Hesychium in vita Leucippi. *e*. Vid. Origenis Philosoph. Cap. XIII. *f*. Lib. II, ℣. 1150. *g*. Epist. LXXI, p. m. 225. *h*. Psalm CII, ℣. 27.

tia Divina, quæ ipsa hujus Universi anima est, indignissimam pronuntiabam. Quid enim? (inquiebam) in COELO, SOLE & STELLIS quis detrimentum quodquam sensit, quò minus pristinâ & alacritate & potestate munus suum obeant, veteremque utilitatem rebus humanis afferant? quanquam aliter sensisse videntur veteres astrologiæ & rei rusticæ scriptores, *Hipparchus* & *Saserna*, aliique, de quibus *Columella*: (*a*) *Multos jam memorabiles auctores comperi persuasum habere, longo ævi situ qualitatem cœli statumque mutari, eorumque consultissimum astrologiæ Professorem Hipparchum prodidisse, tempus fore, quo cardines mundi loco moverentur, idque etiam non spernendus auctor rei rusticæ Saserna videtur adcredidisse. Nam eo libro, quem de agricultura scriptum reliquit, mutatum cœli statum sic colligit, quod quæ regiones antea propter hyemis assiduam violentiam nullam stirpem vitis aut oleæ depositam custodire potuerint, nunc mitigato jam & intepescente pristino frigore largissimis olivitatibus, Liberique vindemiis exuberent.* TERRA non profecto in ipsa, ut ita dicam, infantia magis quam hodie fruges sponte tulit, quin manus Adami postularet, quin duro hunc opere rustico exerceret, quin non nisi בְּעִצָּבוֹן (*cum labore*) בְּזֵעַת אַפֶּיךָ (*& in sudore vultus*) fructum præberet: (*b*) ut proinde vana sit querela poëtæ Epicurei *Lucretii*, (*c*).

Tam-

a. Lib. I, c. 1. *b*. Genes. III, 17, 19. *c*. L. II, ℣. 1150.

Tamque adeo fracta est ætas, effœtaque Tellus
Vix animalia parva creat, ——

Hæc si deficere & a nativa fertilitate degenerasse cuiquam videbitur, is meminerit, curæ humanæ vitium esse, non naturæ, uti probe monet *Columella*, qui Libr. II. Cap. I. his verbis claudit: *Non igitur fatigatione, quemadmodum plurimi crediderunt, nec senio, sed nostra scilicet inertiâ minus benignè nobis arva respondent.* FODINAS terræ Hispaniæ *Cato* apud *Gellium* (*a*) suo tempore prædicat, omnium ditissimas. Neque vero argenteos hos fontes exaruisse credendum est: sed legibus cautum est, in viscera Hispaniæ penetrare, ex quo America commodiorem proventum præstare visa fuit. MONTES, *Ætnam*, *Parnassum* & *Olympum* sensim subsidere, nautarum veterum testimoniis probare vult *Ælianus*: (*b*) Cui *Senecæ* illud oppono: (*c*) *Ætnam consumi & sensim subsidere, ex hoc colligunt, quod aliquanto longius navigantibus solebat* (sc. olim) *ostendi. Potest hoc accidere, non quia montis altitudo desedit, sed quia ignis evanuit, & minus vehemens ac largus effertur: ob eandem causam, fumô quoque per diem segniore.* —— HUMANUM GENUS quâ parte sui decreverit, non video. Certe de INGENIO humano pessimè merentur, qui hoc

a. Lib. II, c. 22. *b*. Lib. VIII. V. H. cap. XI.
c. Epist. LXXIX.

hoc priſcis mortalibus præſtantius quàm nobis a natura datum fuiſſe opinantur, more *Stoicorum* recentiorum apud *Sextum Empiricum:* (*a*) Τῶν νεωτέρων Στωϊκῶν φασί τινες, τοὺς πρώτους τῶν ἀνθρώπων κατὰ πολὺ τῶν νῦν συνέσει διαφέροντας γεγονέναι, - - - *Ex recentioribus Stoicis dicunt nonnulli, primos homines fuiſſe iis, qui nunc ſunt, intelligentia longè præſtantiores,* - - - Hi verò *Plinium* (*b*) audiant: *ſum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa & effœta natura, ut nihil jam laudabile pariat.* CORPUS humanum jam quondam vaſtius prolixiuſque fuiſſe creditum eſt: (*c*) Sed næ parum ſapere ii mihi videntur, qui cum *Homero* ex Oreſtis corpore, pedes duodecim & quadrantem ſive ſeptem cubita longitudinis habente, (ſi accredas *Herodoto*, (*d*) de proceritate antiquorum corporum judicant: quum nulla non ætas tam grandiuſculos Atlantes, quam minuſculos pumiliones tulerit, utroſque ludicra naturæ ſpectacula, non artificia vulgaria & quotidiana. Denique nos poſteri non tardiùs quam veteres illi naſcimur, non citius morimur, non mor-

a. Lib. IX. adv. Phyſ. §. 28. pag. m. 555.
b. Lib. VI, Epiſt. XXI, princ.
c. Vid. Plin. Lib. VII, Cap. 16. Plutarch. de Placit. Philoſ. Lib. V, c. 27. p. 919. Phleg. Trallian. Lib. de Reb. Mirab. c. 15, Juvenal. Sat. XV, ꝟ. 70, alii.
d. Vid. Herodot. Lib. I. pag. m. 30. ſq. Conf. Gell. Noct. Att. III, 10.

morbis & debilitatibus, nisi quas nostrâ sæpe manu ipsi facimus, magis conflictamur. MARE non profecto nobis quam majoribus minora beneficia affert, non pauciores pisces, non viliores uniones. Unô verbô, Qui de Naturæ Senectute conqueruntur, non magis ferendi mihi videntur, quam queruli isti homunciones, qui iniquitatem Temporum, in quibus vivimus, accusant, ab ipsis Temporibus, quæ hi iniqua faciunt, meritò accusandi. Vegeta semper & ad bene faciendum promtissima fuit, est, & erit, dum erit, Natura: Optima semper fuit, est, & erit quælibet ætas: Pessimum semper & corruptissimum fuit, est & erit, dum erit, Genus Humanum.

XVII.

Num Sacerdotes a plebe eligi fas sit?

SEdebam quondam conviva inter complures territorii Tunderensis in Holsatia Sacerdotes Curiales, qui multa & varia de ingeniis auditorum suorum commemorabant, quam viam hic, ille, iste ad honores suos sibi fecerat, quibus artibus studia plebis rusticanæ, cujus suffragiis Sacerdotes ibi fiunt, nactus fuerat quam opportuna occasio quasi de cœlo in rem suam deciderat. In his unum, sane clarissimum virum, qui brevi post naturæ debitum, red-

reddidit, narrare nobis memini, cum munus suum ambiret, deformitatem competitorum suorum, quorum alter claudus, alter obstipâ cervice erat, sibi utilitati fuisse, eamque caussam unicam, quamobrem a suffragatoribus rusticis, quorum in oculis & animis damna illa corporum contemtui erant, utrique anteháberetur. Hanc fabulam tum risus præsentium sequutus est, tum seria disceptatio, *Num Sacerdotes a plebe eligi fas fit?* cum alius jus istius electionis a professo vulgo ad Presbyteros sacri ordinis, exemplô veteris ecclesiæ tam Judaicæ quam Christianæ, transferendum censeret: alius penes eum, qui summam imperii patriæ tenet, illud esse oportere contenderet: alius denique hanc auctoritatem Laicis minimè abrogandam judicaret; tum quod Ambitus, vetus illa reipublicæ pestis, non in pago magis quàm in civitate aut Aula grassari solet; tum quod Candidati non ab ipsa plebe primum deliguntur, sed jam delecti a magistratu utriusque ordinis ad vacuam Cathedram, ut judicium populare subeant, delegantur: tum demum quod aures Laicorum non ita rudes & hispidæ sunt, uti vulgo creduntur, quin de virtutibus orationis satis peritum sæpe judicium facere queant.

Hac contentione tandem ad arbitrium meum, ne scilicet asymbolus essem, delatâ, ingenuè fatebar, consueta illa Competitorum certamina mihi non placere, in quibus fieri videmus, quod in antiquis Græcorum Lati-

norumque poëtarum, ut ignavissimi sæpe præstantissimis præferrentur, ut *Menander a Philemone, nequaquam pari scriptore, ambitu, gratiaque & factionibus sæpenumero vinceretur:* Ut *Euripides, quum quinque & septuaginta tragœdias scripsisset, in quinque solis vicerit*, in reliquis ab uno alterove ignobili certatore victus, (*a*) quia ἢ ἀνόητοι ἦσαν οἱ τῆς ψήφου κύριοι, καὶ ἀμαθεῖς, καὶ πόῤῥω κρίσεως ὀρθῆς, ἢ ἐδεκάσθησαν, *aut suffragiorum domini rationis expertes & rudes erant, proculque a sano judicio discedebant, aut corrupti fuerant*, ut ait *Ælianus*; (*b*) haud dissimiliter semet ipsum cavillante *Petroniô:* (*c*) *Ego poëta sum, &, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet.* Addebam, Electionem illam Sacerdotalem mea quidem sententiâ minimè judicii vulgaris esse, meliusque rusticum, quid aratores quàm Oratores, quid rastra quam rostra deceat, perspicere.

Tum vero ex convivis erat, qui rustica illa suffragia non tantum ab antiquis *Christiani* Danorum III. Constitutionibus Ecclesiasticis, sed etiam a novissimis *Legibus Danicis* approbari ajebat, Legislatore nostrô ita sanciente: (*d*) *Is, cui jus est vocandi, hominem, quem muneri parem arbitratur, vocato, vocatumque ad*

a. Vid. Gell. XVII, 4. *b*. Lib. II, Hist. Var. Cap. 8. *c*. Satyr. p. m. 314. *d*. Leg. Danic. Lib. II, Cap. III, Artic. II, pag. 113. Vers. Lat. Höyels.

ad concionandum apud Parœcos, præsente, si modò temporis ac loci ratio id quodammodo admiserit, Præposito, ablegato. Tunc si Auditores justam de vita ejus ac moribus, vel concionandi facultate querimoniam habeant, eam litteris supplicibus, Episcopi ac Præpositi adscriptione munitis, una cum adjunctis rationibus coram illis, ad quos ea res pertinet, declaranto. —— Huic ego primum respondebam; consuetudinem illam in ecclesia Danica jam obsolevisse, procul dubio desumtam ex lege illa, quam *Concilium Carthaginense* seculo quinto tulit, (*a*) *Ut Episcopus sine concilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium assensum & testimonium quærat.* Deinde senatusconsultum *Concilii Laodicensis*. (*b*) opponebam, *De eo, quod non sit populis concedendum, electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi.*

Hactenus sermo noster familiaris processerat, cum humanissimus hospes eum una cum subselliis judicum rusticorum valere juberet; animosque nostros ad hilaritatem honestissimis facetiis invitaret, seriam in eo tempore, quo nuptiæ agitabantur, disputationem pertæsus.

a Cap. XXII. pag. m. 169. *b*. Cap. XIII, p. 133.

XVIII.

Plaustrum CONVITIORUM,

five

De Appellationibus probrosis Veterum.

QUum nihil magis quàm Convitia & Maledicta odi, exsecror, detestor, ut hominem, ut humanitatis studiosum, ut virum decet; horum tamen antiquæ memoriæ honorem, si commemoratio honor dicenda est, habere me quondam memini, honestô convitiô a Juvene quopiam Academico lacessitum. Nimirum hic, ut erat ingeniô minimè pravô, sed festivô, rerumque, quæ gratiam novitatis habere videntur, percupidô, rationem diligentiæ privato suo Præceptori pro more Academiæ patriæ redditurus, specimen offerre decreverat PLAUSTRUM CONVITIORUM, sive Dissertationem de *Probrosis Appellationibus Veterum*, cujus hoc initium erat:
„ Non ego equidem *Palæstrio* Plautinus
„ sum, Vir Amplissime, non meum est vias
„ publicas purgare, sentinas exhaurire, ster-
„ quilinia (sit venia verbo) vacuefacere: Ni-
„ hilo minus si Mundi cloacam purgamentis
„ suis liberare, si universam Societatis hu-
„ manæ eluviem meô jumentô, ut ita dicam,
„ &

„ & vehiculô aſportare datum eſſet, jam non
„ puderet me plauſtrarii munus ſuſcipere,
„ jam nulla me fœditas deterreret, quin ma-
„ nus inquinarem. Atque eô quidem conſi-
„ liô brevem hanc Diſſertationem conſcripſi,
„ in quam velut plauſtrum quoddam *Convitia*
„ *Veterum* congero, non ut convitiandi ar-
„ tem quemquam doceam, ſed ut dedoceam,
„ non ut hæc in uſum revocanda velim, ſed
„ ut ætatis noſtræ inurbanos vitilitigatores
„ impudentiæ ſuæ pudeat, maxime literatos,
„ qui ingenii aut doctrinæ aliorum deſpicien-
„ tes, bonas chartas turpiſſimis injuriis one-
„ rant, nullo vocabulo in ſcriptis ſuis impen-
„ ſius quàm amabili ſcilicet illo, *Aſini*, aut
„ ſimili gaudentes, ſicuti Aſinum in primis
„ nomine *Martini* affici obſervatum eſt. —

Hic, inquam, Juvenis pro uſu, qui mihi cum ipſo multus fuerat, abs me, ut inſtitutum ſuum adjuvarem, comiter contenderat, cum ego Collectanea mea, quantulum poſſent, ſervire ipſi juberem, depromtis indidem nonnullis, quæ notabiliora nobis videbantur,

Ex. gr.

Apud *Hebræos* veteres quam maximè ignominioſa vox erat, teſte Sacrâ Scripturâ, כֶּלֶב מֵת, *Canis mortuus*, (*a*) item ראש כֶּלֶב, *Caput Canis:* (*b*) unde כּוּלַב, *Idiota*, vilis inſtar canis,

 Tal-

a. 1 Sam. XXIV, 15, alibi. *b.* 2 Sam. III, 8.

Talmudicis dicitur. Quam quidem appellationem *Canis* apud Græcos, Romanos, aliasque gentes tantumdem valere vel pueri norunt. Deinde convitiantibus ſuperbè Judæis in ore erat vox Syriaca, quam Salvator apud *Matthæum* (*a*) abominatur, ריקא ſignificans vel hominem κατάπτυστον, *conſpuendum*, vel *vacuum* ſc. cerebro, uti interpretes exponunt; quæ originem forte dedit deſpicatiſſimo apud nos Danos nomini, *Rakker*. Denique innumeri fere ſunt id genus tituli, quibus Judaica poſteritas nos Chriſtianos ornare ſolet, uti גוים *Ethnici*, כנענים *Cananæi*, ארמיים *Edomitæ*, קדשים *Cinædi*, נמרים *Pardi*, נצרים *Nazaræi*, צורים *Tyrii*, &c. de quibus vide *Eiſenmengerum*, (*b*) & *Bibliothecam Uffenbachianam*. (*c*) Quò accedunt contumelioſa alia nomina, quibus Veteres Chriſtiani ab adverſariis Gentilibus aut hæreticis jactabantur, dicti *Galilæi*, *Athei*, *Græci* & *Impoſtores*, *Magi*, *Sibylliſtæ*, *Biathanati*, *Parabolarii* & *Deſperati Sarmentitii* & *Semaxii*, &c. &c. uti eruditè V. C. *Joſephus Binghamus* in *Originibus* ſuis (*d*) docet.

Apud *Ægyptios* graviſſimô is convitio verberabatur, quem *Aſinum*, appellabant. Notum

a. Cap. V, 22. *b*. In Judaiſmo detecto P. I, c. 16. *c*. P. I, Cod. XC, col. 153, item Cod. CXXXV, col. 395. *d*. Lib. I, Cap. II, p. m, 15—31. edit. Griſchov.

tum autem eſt, inquit *Plutarchus*, (*a*) ὄνον ὑπ' Αἰγυπτίων διὰ Τυφῶνα προπηλακιζόμενον, *Aſinum apud Ægyptios propter Typhonem* (Oſiridis hoſtem, cujus color aſininus fuiſſe fertur) *in infamia eſſe:* cujus rei originem *Idem* in Libello de Iſide & Oſiride (*b*) altius repetit, ſubjectâ demum hâc narratiuncula: *Itaque etiam ex Perſicis regibus maximè exoſi* Ægyptii *Ochum, ut ſceleſtum & impurum, Aſinum appellarunt.* Et *Ochus hoc fatus*, At enim hic aſinus veſtrum bovem epulabitur, *Apim mactavit.* Neque vero apud Ægyptios tantum Aſini illud nomen probro dabatur, quin apud pleraſque gentes contumelioſum ſemper habitum fuerit; ſicuti apud Romanos *Junium Baſſum*, hominem dicacem, ſe puerô *Aſinum album* dictum refert *Quintilianus:* (*c*) quò valent infamia illa Græcorum adagia apud *Suidam*, (*d*) Ὄνος τὰ ὦτα κινῶν, Ὄνος ἄγον μυςήρια, Ὄνος πρὸς αὐλὸν, Ὄνος ἐν μελίτταις, item ἐν μύρῳ, &c. Deinde non dubito, *Suem* & *Subulcum* fœdiſſimas appellationes apud Ægyptios fuiſſe, qui non modo ſue prorſus ut Judæi abſtinebant, ſed ſubulcos etiam uſque eo deſpicatui habebant, ut *neque his templum ingredi liceret, neque horum filias niſi ſubulci in matrimonium ducerent*, teſte *Herodotô.* (*e*)

H 4 Apud

a. In Convivio Sept. ſap. p. 150. *b.* p. 362. ſq. *c.* Lib. VI, Cap. 3, p. m. 545. *d.* In V. Ὄνος p. m. 667 ſq. *e.* Lib. II, p. m. 121.

Apud *Æthiopes* veteres *Crocodilum* fuiſſe fœdiſſimum nomen, credibile mihi ex eo videtur, quod in litteris eorum hieroglyphicis hoc animal *omnis malitiæ index eſt*, ut *Diodorus Siculus* (*a*) tradit.

Apud *Perſas*, qui fortes haberi volebant, indigniſſimè omnium ferebatur convitium, *Femina*, ut auctor eſt *Herodotus*. (*b*) Nec apud *Macedonas* hæc appellatio honeſtior cenſebatur, uti conſtat ex Oratione *Belonis* apud *Curtium*, (*c*) inqua *Philotam* ultimæ contumeliæ cauſa *feminam* nominat. Quod quidem convitium jam olim cunctis fere gentibus eſt commune; unde & *Alexander Moloſſus*, avunculus Alexandri Magni, *Perſiam* eodem nomine (*d*) quo *Diogenes Athenas*, (*e*) γυναικωνῖτιν parum honorificè appellavit; ſicuti contra hic *Lacedæmonem*, ille *Italiam* ἀνδρωνῖτιν dixiſſe perhibetur.

Apud *Græcos* innumera probra reperias, maxime apud ſcriptorem *Iulium Pollucem*. (*f*) quibus addi poſſunt Συκοφάντης, *Calumniator*, (*g*) & Ὁδοιδόκος, *Latro atque obſeſſor viarum*; (*h*) jam ab *Alexandro* JCto (*i*) notata, qui auctoritatem poſterioris convitii adjeciſſet vel-

a. L. III, c. 4, p. 140. *b*. L. IX, conf. Tiraquell. ad Alex. Lib. IV, c. 26, l. g, p. 445. *c*. VI, 11. 3. *d*. Vid. Gell. Noct. Attic. XVII, 21. *e*. Laërt. Lib. VI, §. 59. p m. 343. *f*. Onomaſt. Lib. VI, Cap. 30 ſq. *g*. Vid. Laërt. L. III, §. 24. p. m. 179. *h*. Vide ſis *Supplementum* meum *L. Latinæ* p. 143. *i*. Lib. IV, Dier. Gen. Cap. 26.

vellem. Huc pertinent convitia non communia quidem sed propria & privata; sicuti *Chrysippus* quemdam indignatum ait, quod illum aliquis *Vervecem marinum* dixerat, quæ verba sunt *Senecæ:* (*a*) sicuti *Plato Aristotelem* ob ingratum erga se animum πῶλον, *pullum* asini, vocare solebat: (*b*) sicuti denique *Epicurus Nausiphanem*, magistrum suum, πλεύμονα, *Pulmonem*, (animal marinum, sensu prope motuque carens) Platonis sectatores, Διονυσοκόλακας, *Dionysii assentatores*, Protagoram Φορμοφόρον, *bajulum*, Democritum Ληρόκριτον, *Nugarum judicem*, Antidorum Σαννίδωρον, *stultum adulatorem* dixit: (*c*) cujusmodi convitiis plena est dicax Vetus Græcia.

Apud *Romanos* præter deformes istas, quæ jam notatæ sunt, appellationes, insignem præ se contemtum ferunt vocabula *Barbatus*, (*d*) *Mulus*, (*e*) *Pecus*, (*f*) *Canalicola*, (*g*) *Opicus*, (*h*) *Cimex*, (*i*) *Mancipium*, (*k*) *Cynædus*,

a. Lib. de Constantia Sap. c. 17. princ. *b*. Vid. Ælian. Hist. Var. Lib. IV, cap. 9. *c*. Vid. Laërt. in Vita Epicuri Lib. X, §. 8, p. m. 607. Conf. sect. Empir. adv Mathmat. sub init. p. m. 215. sq. *d*. Vid. Lexica Latina. *e*. Vid. Catull. LXXXIV, 3. *f*. Cic. in Pison. c. 9. *g*. Gell. IV, 20. conf. Salmas. ad Histor. August. p. 484. *h*. Gell. II, 21, XI, 16. & Cat. apud Plinium Lib. XXIX, Cap. 1. *i*. Vid. Horat I. Sat. 10, 78. conf. Menag. ad Laërt. Libr IX, § 43. p. m. 409, de Græcis, qui pariter nequam homines φθεῖρας, *Cimices*, dixere. *k*. Vide Plautum non uno loco.

dus, (*a*) *Clodius*, (*b*) *Catilina*, (*c*) *Therſites*, (*d*) *Nepos*, (*e*) &c. quo referas dicteria privata, ſicuti L. Torquatus Q. Hortenſium, quia manus hujus inter agendum geſtuoſæ erant, notiſſime ſaltatriculæ nomine *Dionyſiam* appellavit: (*f*) ſicuti Martialis impurô vocabulô Coracinum *Cunilingum*, (*g*) Corbulo Fidum Cornelium *Struthiocamelum depilatum*, (*h*) M. Regulus Ruſticum Arulenum *Stoicorum ſimiam*, (*i*) Lenæus grammaticus Salluſtium hiſtoricum *Laſtaurum & Lurconem*, *Nebulonem Popinonemque* (*k*) dixit.

XIX.

a. Vid. Gell. VII, 12. ex *Scipione.* *b.* Senec. Epiſt. XCVII, Juvenal. Sat. II, ꝟ. 27. & Gell. II, 7. *c.* Juvenal. Sat. XIV, ꝟ. 41. & Gell. II, 7. *d.* Vopiſc. in Aureliano Cap. I, Senec. Lib. III, de Ira Cap. 23. & Gell. XVII, 12. *e.* Vid. Sigon. de Nom. Rom. pag. m. 1432. & Feſt. *f.* Gell. I, 5. *g.* Lib. IV. Epigr. 43. *h.* Senec. de Conſt. Sap. c. 17. *i.* Vid. Plin. Jun. Lib. I. Epiſt. 5. Conf. Cicer. Famil. VIII, 12. *k.* Sueton. de Ill. Gr. Cap. 15.

X I X.

Num Lupanaria in Republica ferenda sint?

ANus quædam Diomedis (ita *Lenam* Græci veteres dixerê) lenocinium diu Hafniæ clam exercuerat, juventutis utriusque sexus perditissima corruptrix, cum, re tandem palam factâ, a disciplinæ publicæ ministris comprehenditur, in jus educitur, damnatur. Lex est: (*a*) *Quisquis lenocinium fecerit, virgis ad palum* ignominiosum *cæsus, aut regione, quam incolit, ejicitor, aut ad lanificium publicum damnator.* Dies supplicio destinatus venit, Vetula conciliatrix una cum duabus haud invenustis adolescentulis, quæ quæstum corpore in cella illius fecerant, proripitur, deligatur, mulcatur. Dum hæc in foro geruntur, Jesuita quidam Gallus, qui in edita domus cujusdam parte spectator juxta me sedebat, cum corpora, præcipuè meretricularum, nudari, jamque detractis vestimentis a carnifice cædi videret, miserescit, ingemiscit, indignatur. Hac ego tacita hominis voce audita, jamque finito carnificis ministerio, cum teneri non possem, quin intempestive misericordi Jesuitæ teneros suos erga scraptas & scrupedas affectus risu exprobrarem,

a. Leg. Danic. Lib. VI, Cap. XXII, Artic. V.

rem, ille jam commotior, tu profecto, inquit; alter *Euripides* Μισογύνης (*a*) mihi esse videris, sive *Diogenes*, qui, *cum aliquando mulieres ex arbore suspensas videret*, optasse fertur, *ut omnes arbores hujusmodi fructum ferrent.* (*b*) Adeone (pergit) ferreus es, ut misera hæc spectacula comploratïonem tuam in se convertere nequiverint? Memento, Meretricem esse animal blandum, amabile, innoxium, officiosum: Memento, non aquam, non ignem magis necessaria Reipublicæ instrumenta esse, quam Lenas, quibus aqua & igni in legibus vestris interdicitur: Memento, Lupanaria & scorta in civitate Siphones quosdam, hamas & id genus remedia incendiaria esse, eamque causam, quamobrem *Augustinus* (*c*) sapienter pronuntiarit, *Aufer de rebus humanis meretrices, & omnia complebis libidinibus.*

Tum ego, Tantum abest, inquam, ut hoc dictum ab ipsa manu optimi Patris Ecclesiæ relictum mihi persuadeam, ut contrà nullus dubitem, illud vel ab imperito librario, vel a perfido quopiam emendatore Monacho pro veteri majorum tuorum audacia adulteratum esse, atque auctorem ipsum pro recepto, *meretrices*, honestum aliud vocabulum scripsisse, quod

a. Vid. Suid. p. m. 345, Athen. Dipnos. L. VI, Cap. XII, p 247, & Gell. XV, 20. *b*. Laërt. Lib. VI, § 52, pag. 340. *c*. Lib. II. de Ordine, cap. 4.

quod dicto *Bernbardi* (*a*) congruat: *Tolle de Ecclesia bonorabile connubium & thorum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, incestuosis seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum?* Quodsi vero vel maximè sincerus & indepravatus sit *Augustini* tui locus, ejus tamen sententia nequaquam tanti mihi est, ut temere in eam concedam: quin potius spurca illa *publicarum libidinum consistoria* (*b*) disjici velim, in lenas lenarumque mancipia serio animadverti, atque in Christiana nostra Societate passim fieri, quod sua ætate *Theodosium* Imperatorem factitasse legimus, (*c*) quod ipse tuus Prætor Parisiensis Anno 1647 fecit, (*d*) quod denique sapientissimo nostro Danorum Legislatori sancire visum est, ut *procul hinc, procul inde puellæ Lenonum* sint, uti *Iuvenalis* (*e*) hortatur.

Jesuita vero meus, ut tectum & lectum meretricium fortius tueatur, primum antiquitatem professionis Venereæ mihi objectat, tum ex scriptura de *Cananæorum* meretrice *Rachab*, (Si *meretrix* illa dicenda sit, non, ut alii volunt, *cauponaria*) cui *Iosua* pepercit: (*f*) tum ex

a. Serm. LXVI. in Cantic. Cantic. Opp. T. I. p. 1041. *b*. Uti *Tertullianus* vocat in Libro II. ad Uxorem, cap. 6. p. m. 190. *c*. V. Socrat. Hist. Eccl. Lib. V, c. 8. & Nicephor. L. XII, c. 22. *d*. V. Benjam. Priol. L. II. de Reb. Gall. § 38, p. m. 71 sq. *e*. Satyr. XIV, 44. *f*. Jos. VI, 25.

ex historia profana de *Babyloniis*, apud quos *vulgati corporis vilitas*, teste *Curtio*, (*a*) *comitas habita* fuit: item de *Atheniensibus*, quorum *in Ceramico scorta prostabant*: (*b*) nec non de *Romanis*, quorum *feminæ licentiam stupri apud ædiles vulgabant*, *more inter veteres recepto*, *qui satis pœnarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant*. (*c*) Deinde bonus vir monet, prudenter ab antiquorum temporum magistratu provisum esse, ut lustra incontinentiæ populari pateant, ne gravioribus Respublica flagitiis polluatur, ne pudicitia matronalis periculis injuriisque comissatorum exposita sit, ne projecti ad libidinem nepotuli bestiis ad explendas corporum voluptates nefariè abutantur.

Ad quæ ego, Næ, inquam, causam Pontificis tui tacitè agere mihi videris, qui, si vera Scriptores narrant, (*d*) grandem quotannis pecuniam ex quæstu lenonio facit. Ceterum ut argumenta tua breviter perpendem; V. C. ideone Lupanaria ferenda putas, quia *Caligula* honestatem publicam pretio vendere solitus, *in* ipso etiam *palatio lupanar constituit*? (*e*) quia *Heliogabalus voluit & per singulas urbes lenones præfectos urbi facere*, & *ut essent in urbe*

a. V, 1, 38. *b*. Suid. p. m. 479. *c*. Tacit. Annal. II, 85, 2. *d*. Carpzov. p II. Pract. Crim. Quæst. 70, n. 7; Henr. Cornel Agrippa, alii apud Christianum Gottl. Koch de Obsc. Pontif. Decimis Cap. II, § 2 sq. *e*. Sueton. cap. 40 sq.

urbe quatuordecim? (*a*) quia Athenis πορνικὸν τέλος, *vectigal meretricium*, (*b*) in uſu fuit? Certè non dubito tibi probari, quod majores tui in *Jure Canonico* (*c*) cenſuerunt, *Pravus uſus ratione ſuperatur & lege:* ſive, (*d*) *Non poteſt uſus & conſuetudo legem & rationem vincere*. Quò accedit, quod non *Tertullianus* modò, auctoritate divina (*e*) fretus, *lupanaria maledicta* pronuntiat, (*f*) ut de aliis taceam; ſed in Veteri etiam illo *Con-Concilio Elibertino*, (*g*) ſtatutum legitur: *Mater, vel parentes, vel quælibet fidelis, ſi lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius ſuum, placuit eam nec in fine accipere communionem.* Verum enim vero ne Lupanaria apud ſapientiores gentiles veteres, ad quos provocas, honeſta habita fuiſſe credas, audi, quæſo te, verba Legis *Papiæ Poppææ* apud Romanos, qua cavetur, *Ne quis ingenuus* EAM, QUÆ PALAM QUÆSTUM CORPORE FACIT FECERIT, LENAM, A LENONE MANUMISSAM, *ſponſam uxoremve ſciens habeat.* (*b*) cujusmodi plures Romæ

a. Lamprid. in Heliog. c. 20. *b.* Vid. Æſchin. Orat. contra Timarchum p. m. 186. *c.* Part. I, Diſtinct. XI, Can. I, p. 10. *d.* Ibid Can. V. *e.* Deuteron. XXIII, 17 ſq. *f.* Cap. XXVII, de Anima, p. m. 330 *g.* Cap. XII, p. m. 78. *h.* Ulpian. Lib. I, L. 43. §. 1. conf. Jo. Gottl. Heinecc. Commentar. ad Leg. Jul. & Papiam Popp. Lib. II. Cap. I, §. XI, pag. 130. ſq.

mæ leges latas fuisse conjicio ex *Novella* XIV *Justiniani* DE LENONIBUS, quæ ita incipit: *Et antiquis legibus & dudum imperantibus satis odibile visum est esse lenonum nomen & causam, in tantum, ut etiam plurimæ contra talia delinquentes scriberentur leges.* (*a*) — quò pertinere videntur *gravia* illa *Senatus* Romani *decreta*, quibus *libidinem feminarum coërcitam Tacitus* (*b*) testatur. Neque vero aliter se res lupanaris apud *Athenienses* habebat, uti ex Oratione *Æschinis contra Timarchum* liquet, & nemini paulo humaniori ignotum est, quin de honestate lenonia juxta sentirent cum Q. *Metello*, prætore Romano, de quo *Valerius Maximus*, (*c*) hæc narrat: *Vecilio lenoni bonorum Iuventii possessionem secundum tabulas testamenti non dedit; quia vir nobilissimus & gravissimus fori ac lupanaris separandam conditionem existimavit: Nec aut factum illius comprobare voluit, qui fortunas suas in stabulum contaminatum projecerat: aut huic tanquam integro civi jura reddere, qui se ab omni honesto vitæ genere abruperat.* Taceo de vetustissimo Corinthiorum Rege *Periandro*, qui τὰς προαγωγὰς πάσας κατεποντισε, *omnes quæ se prostituebant mari demergi jussit*, ut auctor est *Heraclides*. (*d*) Quid plura? Quum porro Lupanaria ex usu Reipublicæ esse monenes,

a. Vid. Novell. p. m. 31. *b*. Annal. II, 85, 1. *c*. Lib. VII, Cap. 7, ex 7. *d*. περὶ Πολιτειῶν, p. m. 983.

nes, aliud monere mihi non videris, quàm Reip. interesse, ut lue & fœdissimis morbis repleatur, ut vires civium frangantur, ut juventus una cum bonis suis & patrimoniis perdatur, ut mores publici corrumpantur.

His dictis, Jesuitam meum valere jubeò, prius tamen rogatum, ut, si quid clementiæ & misericordiæ in animo ejus supersit, id Ecclesiæ nostræ potius quam lupanaribus in posterum impertiatur.

X X.

Quæsita super Lege XLIII. in Jure Municipali Civitatis Ripensis.

NOtum est *Jus* illud *Municipale*, quod glor. mem. CHRISTOPHORUS I, Rex Danorum, Civitati nostræ Ripensi Anno 1252 benigne dedit, ERICUS cognomento GLIPPING, Anno 1269, VI. Cal. Jul. confirmavit, CHRISTOPHORUS III. denique Anno 1443 auxit, postmodo ab illustri nostro *Petro Joh. Resenio* Hafn. Anno 1683, una cum Versionibus, Danica & Germanica, publicatum. Nota insuper est hujus *Juris* severitas, ut de eo fere dici queat, quod de *Dracone*, legislatore Atheniensium, ejusque legibus *Plutarchus* (*a*) scrip-

a. In vita Solonis pag. m. 87.

ſcriptum reliquit: Μία ὀλίγου δεῖν ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία, θάνατος. ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν, καὶ τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώραν, ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις. διὸ Δημάδης ὕστερον εὐδοκίμησεν, εἰπὼν ὅτι δι' αἵματος οὐ διὰ μέλανος τοὺς νόμους ὁ Δράκων ἔγραψεν. *Noxas perſequutus eſt ille pene omnes capitali ſupplicio, ut & otii damnati morte multarentur, ac qui olus ſurripuerant vel poma, in hos non ſecus atque in ſacrilegos animadverteretur. Unde poſtmodum lepidè ait Demades, Sanguine Draconem, non atramento leges ſcripſiſſe.* Scilicet in Ripenſi noſtro, ſicuti in veteri illo Athenienſi codice pleræque fere ſanctiones pœnam capitis delictis conſtituunt: ex. gr. Leg. VIII, *Quicumque mulieri fecerit violenciam & convictus fuerit cum duodecim vicinis ſuis ubi violencia facta fuit capitali ſentencie ſubjacebit.* Item Leg. XXIV, *Si quis de civitate noſtra alicui legittimam uxorem abſtulerit & bona ſua fugeritque de civitate cum illa ſi poſtea cum illa deprehenſus fuerit capitali ſentencie ſubjacebit.* Nec non Leg. XXX, *Siquis cum melle vel ferro falſificato vel cum aliis rebus falſificatis deprehenſus fuerit capitali ſentencie ſubjacebit.* Porro Leg. XXXVIII, *Siquis cum furto deprehenſus fuerit dimidiam marcam denariorum valente ſuſpendii fur reus erit ſi fuerit eſtimacio minoris precii ſignum furis ſibi inſigatur ſi poſt hoc fur cum furto deprehenſus fuerit minoris vel majoris precii ſuſpendatur.* ad hoc Leg. XL.

Que-

Quæcunque mulier pro furto suspendi meretur pro honore muliebri viva tumulabitur. &c. &c.

Has quidem leges in consessu studiosorum quorundam hominum non sine summa voluptate quondam legi memini, cum omnium maximè animos nostros oblectaret XLIII. de Adulterio: *Si aliquis vir cum legittima uxore alicujus in adulterio deprehenditur juris & civitatis ut ipse ab ea per vicos civitatis sursum & deorsum per veretrum suum trahat & sic de illa causa liber erit.* Novum profectò hoc animadversionis genus cunctis videbatur, mirantibus, adulterum a tam severo legislatore ignominiâ tantùm notari, non capite plecti, sicuti quondam *Tenediorum* legibus *adulterum deprehensum necare* licebat, (*a*) quod a *Mose*, (*b*) *Solone*, (*c*) *Dracone*, (*d*) statutum, quod apud *Arabes* (*e*) aliasque gentes receptum fuisse constat. Erat in cœtu nostro vir haud sanè indoctus, qui, variis adulterii ignominiis ab omni fere memoria repetitis, cum legem Ripensi nostræ similem, *de Adultero vicatim per virilia ab adultera trahendo*, invenire nusquam posset, rem ad ceteros familiares rejicit. Nos ingenuè cuncti fatemur, exemplum aliud nobis non suppetere, quod ad similitudinem Sanctionis nostræ accedat, præterquam

I 2 quod

a. Vid. Heraclid. Polit. p. m. 985. *b*. Deuter. XXII, 22. *c*. V. Plutarch. in Solone p. m 90. *d*. V. Pausan. Lib, IX, p. m. 598. *e*. Strab. L. XVI, p. m. 1130.

quod de *Pisidis* refert *Damascenus* : (*a*) Ἐὰν μοιχὸς, ἁλῷ, περιάγεται τὴν πόλιν ἐπὶ ὄνου μετὰ τῆς γυναικὸς, ἐπὶ ἡμέρας τακτάς, *siquis in adulterio comprehensus fuerit, is cum adultera asino insidens per urbem circumducitur, idque ad constitutum aliquot dierum spatium.* Ad hoc alius quispiam addidit, quod de *Lepreatis* memoriæ tradit *Heraclides:* (*b*) Λεπρεεῖς οὓς ἂν λάβωσι μοιχοὺς, περιάγουσι τρεῖς ἡμέρας τὴν πόλιν δεδεμένους, καὶ ἀτιμῶσι διὰ βίου. τὴν δὲ γυναῖκα ἕνδεκα ἐπ' ἀγορᾶς ἄζωσον ἐν χιτῶνι διαφανεῖ ἱστᾶσι καὶ ἀτιμῶσι. *Lepreatæ adulteros comprehensos triduo per urbem circumducunt vinctos, & per totam vitam infames habent. Mulierem autem adulteram, indutam perlucida veste sine cingulo, in foro per undecim dies statuunt, atque ita ignominia notant.*

Dum hæc disserimus, Clarissimus quidam Ripensis, de civitate sua præclarè meritus, forte advenit. Hunc nos hominem, utpote memoriarum rerumque veterum Ripensium apprime gnarum, cuncti percontamur, ecquid exemplis etiam testatum sit, adulterorum Ripensium quemquam ita, ut lex fert, per vicos ab adultera olim tractum fuisse? Ille vero primum nihil hujusmodi sibi cognitum esse fatetur: deinde addit, se non dubitare, quin tanta *acerbitas pœnæ eô consiliô denunciata sit, ne ad eam unquam perveniretur* ; secuti *Sextus Cæci-*

a. De Moribus Gent p. m. 117. *b*. Περὶ πολιτ. p. 991.

Cæcilius JCtus apud *Gellium* (*a*) ait de Lege illa XII Tabularum, in qua creditores corpus Debitoris, qui solvendo non est, secare atque partiri jubentur: TERTIIS. NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. SI. PLUS. MINUS. VE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO. ubi *Cæcilius* mox: *Dissectum*, inquit, *esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi.*

XXI.

De Pretio Rei Librariæ apud Veteres.

AUctioni Bibliothecæ, quam vir doctus in agro Ripensi reliquerat, me quondam interesse memini, cum ob emtorum paucitatem præstantissimi plerique scriptores, haud aliter ac ignavissimi veterum servi aut captivi, vilissimo pretio venirent, vix redditis, quæ inexterna librorum ornamenta olim erogatæ fuerant, impensis. Finita auctione, JCtus quispiam & defuncti amicus, & optimi cujusque libri peritus æstimator, de tenuitate pretii hujus librarii conquestus, optabat, ut bibliotheca nostra antiquissimis Græcorum aut Romanorum temporibus divendita fuisset: futurum quippe ratus, ut in multo liberaliores avidioresque manus incidisset, ampliorem

a. Noct. Attic. XX, 1.

rei familiaris fructum heredibus allatura. Ad quæ ego: Non equidem dubito, si ἐν τῷ κατὰ τοὺς Ἀτταλικούς τε καὶ Πτολεμαϊκοὺς βασιλέας χρόνῳ, πρὸς ἀλλήλους ἀντιφιλοτιμουμένους περὶ κτήσεως βιβλίων, (a) *in eo tempore, quo Attalici Reges* (Alexandriæ & Pergami) *de possessione librorum certabant*, hi libri venales fuissent, eos multo vendibiliores carioresque futuros; quamquam nulla non ætas non modo emaces in Ægypto *Ptolemæos*, sed & in Italia *Silios*, (b) in Græcia *Appellic[illegible]s* φιλοβίβλους (c) tulit.

Hinc de *Pretio Rei Librariæ Veteris* differi cœptum est, quod nobilissimus ille JCtus immodicum in universum statuebat, addens, vel unius *Didymi* grammatici, qui *quatuor millia librorum scripsisse* fertur, (d) monumenta suis temporibus multò carius, quam vel apparatissimæ hodie bibliothecæ venduntur, æstimata fuisse. Ad hæc ego monebam, quod viri docti jam sæpius monuerunt, (e) *Librum* sive *Volumen* antiquitus sæpenumero dici exiguam libri justi portionem, ita ut noster aliquis primæ magnitudinis Codex vel centum libros *Didymi* istius capere queat. Deinde non equidem diffitebar, luculente scripta Veterum vendita fuisse, minime tamen promiscue,

a. Galen. Præfat. Comment. II. in Hippocr. de Natura Hominis p. 128. *b.* Plin. Jun. III, 7, 7. *c.* Strab. L. XIII, p. m. 906. *d.* Senec. Epist. LXXXVIII. *e.* Jonsius, Conringius, alii.

ſcue, ſed ſi *παλαιῦ τινος ἀνδρὸς*, *antiqui cujuspiam hominis*, (*a*) aut *ἀνδρῶν ἐνδόξων συγγράμματα*, *illuſtrium virorum* monumenta (*b*) eſſent: quo pacto apud Romanos *Librum Æneidos Secundum*, *mirandæ vetuſtatis*, ſuo tempore *emtum in Sigillariis* (loco Romæ, mercatorum frequentia celebri) XX *aureis* teſtatur *Gellius:* (*c*) quo pacto *Pompilius Andronicus*, Grammaticus, *Opuſculum annalium Elenchorum XVI millibus nummum* ob paupertatem *vendere coactus* fertur apud *Suetonium:* (*d*) & *Plinius Secundus*, Scriptor Hiſtoriæ Naturalis, apud *Juniorem* illum (*e*) refert, *potuiſſe ſe*, *quum procuraret in Hiſpania*, *vendere commentarios ſuos Largo Licinio CCCC millibus nummum*, etiam *tunc aliquantò pauciores.* Ad hæc addebam, non ignorare quidem me, quod *Galenus* (*f*) tradit, *Αὐτόγραφα Sophoclis*, *Euripidis & Æſchyli XV argenti puri talentis a Ptolomæo Euergeta* comparata eſſe: ſicuti porro *Iſocrates unam orationem viginti talentis vendidit*, ut auctor eſt *Plinius:* (*g*) item ſicuti de *Platone* & *Ariſtotele* relatum legimus apud *Gellium*, (*h*) *Ariſtotelem libros pauculos Speuſippi philoſophi*, *poſt mortem ejus*, *emiſſe talentis Atticis tribus*: Atque *Platonem tres Philolai Pythagorici libros decem millibus*

a. Galen. l. c. item Commentar. I, p. 127. *b*. Ibid. *c*. Lib. II, Cap. 3. *d*. de Ill. Gr. c. VIII. *e*. Lib. III. Epiſt. V. *f*. In fine Commentarii cit. *g*. Hiſt. Nat. VIII, 30. *h*. Noct. Attic. III. 17.

libus denarium mercatum: unde maledici illi versus *Timonis*, (*a*)

Καὶ σὺ Πλάτων· καὶ γάρ σε μαθητὶν ὁ πόθος ἔσχε.
Πολλῶν δ' ἀργυρίων ὀλίγην ἠλλάξαο βίβλον.
Ὅθεν ἀπαρχόμενος γράφειν ἐδιδάχθης.

Et tu, Plato? nam te discendi cupido tenuit,
Multa autem pecunia exiguum redemisti librum,
Unde incipiens scribere doctus es.

Atque hujusmodi quidem immane pretium, etiamnum post initia Typographiæ, præstantioribus Libris manu antiqua exaratis constare docebam exemplô *Livii* historici, quem, si vera narrat *Petrus della Valle*, (*b*) Nobilis Romanus, cum integer in Bibliotheca Imperatoris Turcarum asservari crederetur, *Legatus Regis Galliarum decem millium coronatorum pretiô*, & *Magnus Florentiæ Dux quinque piastrorum millibus* certatim mercari voluerunt, sed irritô conatu, cum brevi post Anno 1665 mense Novembri funestô incendiô bibliotheca misere absumeretur. Neque vero dissimulabam, minime mirum mihi videri, vetera illa clarorum auctorum MSta tam care vendi, si pompa & sumtuosa eorum ornamenta recte æstimentur. Quam in rem testimonium clarissimi *Lambecii* in Bibliotheca Vindobonensi

a. Noct. Attic. III, 17. *b.* Itinerar. Part. I, Cap. 9.

nensi (*a*) de *Codice Dioscoridiano Græco vetustissimo* MS. afferebam: *Quamquam Busbeckius* (*b*) *scribit Codicem hunc non pluris quam centum ducatis esse emtum, res ipsa tamen manifestissimè demonstrat, si partim quidem Scripturæ ipsi, partim autem ornatui ejus & unicuique imagini plantarum & animalium, quæ ibi depicta sunt, exiguum duntaxat pretium mercedis loco assignetur, ne quingentorum quidem ducatorum sive mille Imperialium impensâ talem Codicem nunc describi & adornari posse. Quodsi vetustatis insuper debita habeatur ratio, quis negaverit, Codicem istum longè majoris esse pretii?* &c.

Denique, ut monumenta ingeniorum etiam haud incelebrium non minus antiquis quam nostris temporibus vili sæpe vendita fuisse demonstrarem, audire amicum JCtum jubebam, quæ *Gellius* de se ipso scribit (*c*) hunc in modum: *Quum e Græcia in Italiam rediremus, & Brundisium iremus, egressique e navi in terram in portu spatiaremur, fasces librorum venalium expositos vidimus. Atque ego avidè statim pergo ad libros. Erant autem isti omnes libri Græci miraculorum fabularumque pleni, res inauditæ, Scriptores Veteres non parvæ auctoritatis, Aristeas & Isigonus & Ctesias & O-*

 ne-

a. Lib. II, Cap. VII, p. m. 156. edit. Reimmanni.
b. In Epistola IV. de Legatione Constantinopolitana & Amasiana A. 1562. d. 16. Decembri Francofurti ad Moenum scripta. *c*. Lib. IX, cap. 4.

mericitus & Polystephanus & Hegesias. Ipsa autem volumina ex diuturno situ squallebant, & habitu adspectuque tetro erant. Accessi tamen, percunctatusque pretium sum: & adductus mira atque insperata vilitate, libros plurimos ære pauco emo. Nequo vero prætérire tum visum est, quod *Martialis* (a) de se ipso itidem & *Atrecto* bibliopola canit:

De primo dabit alterove nido
Rasum pumice, purpuraque cultum
Denariis tibi quinque Martialem.

Cujus quidem pretii vilitatem ut JCtus meus cognosceret, ad Disputationem Viri Clarissimi *Christiani Schoettgenii* de *Librariis & Bibliopolis Antiquorum* (b) eum opportunè delegabam.

XXII.

De Gladio PETRI.

SEdentes paucis abhinc annis in convivio complusculi familiares, auditô signô, quô nuncius publicus adventum suum significare solet, famulos, qui epistolas ad nos forte datas deposcant, ad rei tabellariæ diversorium pergere jubemus. Redeunt hi non inanes, laxamus vincula, cruenta & luctuosa facinora accipimus. Nimirum alius ad amicum scrip-

a. Lib. I. Epigr. 118. b. § X.

ſcripſerat, duos ex Hatterslebia fratres germanos, qui Jenæ ſtudiorum cauſa degebant, alterum alteri pectus gladiô crudeliter hauſiſſe: alius quiſpiam certiorem me fecerat, ſtudioſum Hafnienſem, quondam unum ex auditoribus meis Nicopienſibus, Sartori cuidam paribus armis vitam miſerè eripuiſſe. Quæ quidem funeſta nova quam graviter aures atque mentes noſtras vulneraverint, quilibet, cui non *cornea*, ut Poëta (*a*) canit, *fibra eſt*, facile divinaverit.

Erat in convivio Vir gravis, ſacrarum rerum antiſtes, qui, his auditis, exclamat, *Quid gladii noſtri volunt?* (*b*) ad hæc seriò optans, ut tum veteri Univerſitatis Hafnienſis Legi, tum piiſſimæ glor. mem. FRIDERICI II. noſtri Sanctioni, Anno 1577 promulgatæ, quæ utraque cives Academicos armatos incedere vetat, priſtina obſervatio hodie conſtaret. Idem pro eo, quô Anglos, veteres hoſpites ſuos, proſequebatur amore & honore, conſtantiam *Univerſitatis Oxonienſis* omnium maximè collaudat, recitatô hoc Senatusconſultô: (*c*) *Statutum eſt, quod nullus Studioſus, aut alius, intra Univerſitatis ambitum ſive Offenſiva ſive Defenſiva Arma (veluti Gladios, Pugiones, Pugiunculos, Sicas, Arcus, Sagittas, Bombardas) vel tela aut inſtru-*

a. Perſ. Sat. I, 47. *b.* Cicer. pro Milone cap. 4.
c. Vid. Excerpta e Corpore Statut. Univerſit. Oxon. Tit. XV, § XI, p. 170.

strumenta bellica, de die vel de nocte gestet, nisi cum ad loca remota proficisci, vel a remotis reverti eum contigerit; exceptis, qui honestæ recreationis causa arcus cum sagittis portaverint. Et si quis secus fecerit, (etsi nulli insultum fecerit, tanquam Pacis perturbatæ suspectus incarceretur, donec itidem de Pace conservanda fidejusserit; & præter amissionem Armorum duobus solidis Universitati mulctetur.

Tum vero alius quispiam, artis gladiatoriæ olim & peritissimus & studiosissimus homo, qui paulo liberius in Academica ætate vixerat, recordari Virum Clarissimum jubet, jam Anno 1659, quum fides & virtus civium Studiosorum quam gloriosissimè in Obsidione Hafniensi enituisset, præmium his, *Jus Gladii*, a Serenissimo FRIDERICO III. clementissimè datum fuisse. Quod cum alter ita non esse omni asseveratione affirmaret, quæstio, *Num studiosus noster potestate gladium gestandi ex æquo utatur*, cooritur? Atque horum quidem *Ille* pro tegendo Studiosi latere gladio *Petri* pugnabat, minimè, ut prædicabat, dubitans, Apostolos cum Salvatore iter armatos fecisse; quod alios quoque Galilæos ob infestas latronibus vias factitasse, ex *Josepho* (*a*) qui de *Essenis*, innocentissimo hominum genere, idem prodit, docebat; eoque factum, ut, cum *Christus* tempus imminere diceret, quo gladii comparandi causa vel vestis venden-

a. Antiquit. XVIII. 2.

denda esset, (*a*) Apostoli mox duos sibi gladios in comitatu præsto esse responderent. Deinde pergit Idem, sive *gladius* sit vocabulum honoris, sive Instrumentum ad tutelam corporis, Cur studiosum magis quam sordidissimum quemque ex plebe Opificem inermem esse oporteat?

Hic contrà in *illius* caput *gladium Petri* retorquet, quippe quem tum Salvator ipse suô interdictô quasi de manibus Apostoli excutit, tum sola necessitas in via latronibus obsessâ porrigit, adhibendumque suadet. Idem porro ad alterum momentum respondet, sive gladius sit vocabulum honoris, sive Instrumentum ad tutelam corporis, neutiquam tamen Studiosum magis quam Presbyterum aut Episcopum, quos nulla ætas in vita quotidiana gladio accinctos vidit, decere.

Ad hæc *Ille* iterum, Dic sodes, inquit, quâ auctoritate studiosum nostrum magis quam Professorem Philosophum, cum uterque iisdem litteris idem Sacramentum dixit, gladium ponere jubeas? Alter vero aliud nihil respondet, quam se optare, ut honestissimus multoque gravissimus majorum habitus, quem tituli civiles maximam partem mutarunt, Academiæ nostræ quandoque reddatur.

Diu ego auscultaveram, cum demum placidè invitatus, ut contentioni finem imponerem, hoc, cuicuimodi sit, judicium interpone-

a. Luc. XXII, 36.

nerem. Quod si mei, inquam, arbitrii res esset, de qua disceptatis, Viri Clarissimi, jam brevi honos artis gladiatoriæ obsolesceret: jam quæstus eorum, qui arma fabricantur, insigne profecto detrimentum caperet: jam sellulario cuique. Sutori dentes, Sartori digiti, Textori pedes pro gladiis essent: jam scriba solô calamô vulnera daret: jam nobiles nostros pueros in quæstionem postularem, *Quis vos ad hunc gladium alligavit?* (*a*) item, *Quid — tibi, lascive puer, cum fortibus armis?* (*b*) subjecta demum sententiâ, *Μὴ παιδὶ τὴν μάχαιραν, ne puero gladium:* (*c*) jam Philosophos nostros de Toga fateri docerem, quod *Delius* de pharetra apud *Ovidium*, (*d*) *Ista decent humeros gestamina nostros:* jam denique disciplina veterum *Romanorum* revocatâ, fieret, ut *Jus Gladii* soli patriæ magistratui (*e*) relinqueretur, nulli planè ordini commune, nisi Militibus, (*f*) atque his eâ quidem lege, ut in pace ensem ad dextrum (*g*) latus, veterum illorum more, gerant, sibi ipsis quam aliis molestiores.

Sequutus est præsentium tum risus, tum assensus, tum ad aliam dicendi materiam transitus.

XXIII.

a. Qui jocus Ciceronis est apud Macrobium Sat. II, 3. *b.* Ovid. Metamorph. I, 456. *c.* Vid. Chiliad. *d.* Ovid. Metam. I, 457. *e.* V. Pet. Fabri Semestr. I, 3. conf. Rom. XIII, 4. *f.* V. Burmann. ad Petron. p. 407. *g.* V. Stewech. ad Veget. Libr. I, Cap. XX, p. 64. sq. & Lips. de Mil. Rom. Lib. III, Dial. III, pag. 114. sq.

XXIII.

De Magia Aulica.

FAmiliares complures inter deambulandum otii oblectandi causa sermonem quondam agitamus de *Aula Pontificis Romani*, quibus initiis ad tantum fastigium creverit, quam multa *Petri Patrimonium* (quod vocant) superstitioni debeat, quam pulchrè societas Pontificia, nisi præstigiis aulicis regeretur, nisi minis atque auctoritate Sanctorum in officio contineretur, jam dudum disjecta, collapsa, exstincta jacuisset.

De hac materia *millia aliquot passuum disserueramus*, ut joco *Flavii Verginii* apud *Quintilianum* (*a*) utar, cum Collega quidam meus, homo rerum litterarumque veterum haud quaquam indoctus, per cavillationem exclamaret: „ ô deorum dearumque omnium po„ tentissima SUPERSTITIO! Quam vere „ de te *Curtius* (*b*) dixit, *Nulla res multitu„ dinem efficacius regit* —! Tuum hoc mu„ nus est, quod tantam majestatis opinionem „ *P. Scipio Africanus* Romæ olim habet, qui „ in Capitolium prius, quam dilucularet, „ ventitare solitus, *cum Jove de republica con„ sultare* (*c*) credebatur: Tuum est, quod „ bar-

a. Lib. XI, c. 3, p. m. 1026. *b*. IV, 10, 7. *c*. Gell. VII, 1.

„ barbari *Sertorio* duci *ad omnia tanquam di-*
„ *vinitus imperata obediunt*, quia *Cervam al-*
„ *bam, quam ſecum duxit, inſtinctam Dianæ*
„ *numine colloqui ſecum, monereque & docere,*
„ *quæ utilia factu eſſent, populo perſuaſerat:*
„ (*a*) Tuum eſt, quod Milites Syllani tan-
„ tâ fide ſigna ſua ſequuntur, divinâ quâdam
„ ducis ſui veneratione imbuti propter τὸ
„ χρυσοῦν Ἀπόλλωνος ἀγαλμάτιον, *aureum*
„ *Apollinis Sigillum*, quod ille *ſemper in ſinu*
„ *inter dimicandum circumtuliſſe* fertur. (*b*)
„ O utiliſſimum in Republica numen, SU-
„ PERSTITIO!"

Tum ego, Imo vero, inquam: Hæc mirifica *Magiæ Aulicæ* adjutrix ſemper fuit: Hæc principum virorum votis plus ſæpe quam validiſſimus exercitus profuit: Hæc ampliſſima pleraque Imperia vel fundavit, vel firmavit atque auxit. Adſpice magnum illum in Magia Aulica artificem, NUMAM POMPILIUM. *Hic maximè animos hominum rudes atque imperitos novis ſuperſtitionibus implicavit. Quod ut faceret aliqua cum auctoritate, ſimulavit cum dea Egeria nocturnos ſe habere congreſſus. Erat quædam ſpelunca peropaca in nemore Aricino, unde rivus perenni fonte manabat. Huc remotis arbitris ſe inferre conſueverat, ut mentiri poſſet, monitu deæ conjugis ea ſacra populo ſe tradere, quæ acceptiſſima diis eſſent.*

a. Frontin. Strategem. I, 11, 13, & Gell. XV, 22.
b. Plutarch. in Sylla pag. 471.

essent. Videlicet astutiam Minos (regis Cretensium) *voluit imitari, qui se in antrum Jovis recondebat; & ibi diu moratus, leges, tanquam sibi a Jove traditas, adferebat, ut homines ad parendum non modò imperiô, sed etiam religione constringeret:* (*a*) de quo quidem MINOE *Homerus* in hunc modum canit; (*b*)

Τοῖσι δ' ἐνὶ Κνωσσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα Μίνως γε
Εννέωρος βασίλευε, Διος μεγάλȣ οαριςής.

Inter illas est Gnossus urbs magna, ubi Minos
Novem annis imperavit, Jovis magni confabulator.

Adspice ALEXANDRUM MAGNUM, hic Magorum Aulicorum haud profectò minimus, ut mentes humanas religiosô quodam nominis sui cultu impleret, *Jovis Hammonis filium* se venditat.

Audi ipsum apud *Lucianum:* (*c*) Ὀυδ' αὐτὸς ἠγνόουν, ὡς Φιλίππȣ τȣ̃ Ἀμύντȣ ὑιός εἰμι, ἀλλ' ἐδεξάμεν τὸ μάντευμα, ὡς χρήσιμον ἐς τὰ πράγματα οἰόμενος ἔιναι. —— οἱ βάρβαροι καταπεπλάγησάν με, καὶ ὀυδεὶς ἔτι ἀνθίσατο, οἰόμενοι θεῷ μάχεσθαι. *Neque vero nescius eram, Philippi Amyntæ filium me esse, sed quia ad res geren-*

a. Lactant. I, 22, 1 sq. *b.* Apud Damascenum de Moribus Gentium p. m. 1025. Vid. Homer. Odyss. Lib. XIX, p. m. 275. *c.* In Dialogo Philippi & Alexandri p. m. 162.

gerendas sic mihi visum erat conducere, commento hoc usus sum vaticinii. —— Barbaros in mei admirationem tractos facilius hoc prætextu nostro subjecimus imperio, cum nemo resisteret, hac quippe opinione ducti, adversus Deum sibi esse præliandum. Adspice denique ZAMOLXIN illum in Aula Regis *Getarum*, de quo *Strabo:* (*a*) Λέγεταί τινα τῶν Γετῶν, ὄνομα Ζάμολξιν, δȣλεῦσαι Πυθαγόρα· Καὶ τινά τῶν ȣ̓ρανίων παρ' ἐκεινȣ μαθεῖν, τὰ δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτιών, πλανηθέντα καὶ μέχρι δεῦρο. Ἐπανελθόντα δ' ἐις τὴν οἰκίαν, ἀσπασθῆναι παρὰ τῶς ἡγεμόσι, καὶ τῷ ἔθνει, προλέγοντα τὰς ἐπισημασίας. Τελευτῶντα δὲ, πεῖσαι τὸν βασιλέα, κοινωνὸν τῆς ἀρχῆς λαβεῖν ἀυτὸν, ὡς τά παρὰ τῶν θεῶν ἐξαγγελλεῖν ἱκανον καταρχὰς μὲν ἱερέα καταθεῖναι τȣ̃ μάλισα τιμωμένȣ παρ' ἀυτοῖς θεȣ̃· μετὰ ταῦτα δὲ καὶ θεὸν προσαγορευσθῆναι, καὶ καταλαβόντα ἀντρῶδες τί χωρίον ἄβατον τοῖς ἄλλοις, ἐνταῦθα διαιτᾶσθαι, σπάνιον ἐντυγχάνοντα τοῖς ἐκτός, πλὴν τȣ̃ βασιλέως, καὶ τῶν θεραπόντων· συμπράττειν δὲ τὸν βασιλέα, ὁρῶντα τȣ̀ς ἀνθρώπȣς προσέχοντας ἑαυτῷ πολὺ πλέον ἢ πρότερον ὡς ἐκφέροντι τὰ προστάγματα συμβȣλῇ θεῶν. *Memoriæ proditum est, Getam quendam, Zamolxin nomine, Pythagoræ famulum fuisse, & cum ex eo quædam de rebus cœlestibus cognovisse, tum alia ex Ægyptiis, ad quos vagando devenisset. Hunc Zamolxin in patriam reversum, acceptum proceribus fuisse ac genti, quod ostentorum*

(*a*) L. VII, p. m. 456.

torum cœlestium eventa præmonstraret. Tandemque regi ab eo persuasum esse, ut eum, tanquam aptum ad ea, quæ diis placuissent, enuncianda, collegam regni assumeret: itaque hunc Zamolxin initio sacerdotem creatum ejus, qui præcipuè colitur apud Getas, Dei: deinde nomen Dei eum accepisse, & loco quodam antroso, qui aliis esset inaccessus, se abdidisse, vitamque ibi egisse, rarò cum externis, rege & famulis exceptis, congressum: usumque ad hoc auxilio regis, qui sibi quam antè multo audientiores dicto subjectos sentiret, edicta scilicet sua consilio deorum promulganti.

Ad hæc alius quispiam addebat miracula VESPASIANI, qui cæco cuidam visum restituisse, & alium manu ægrum sana esse fertur apud *Tacitum*, (*a*) non, ut ille prædicabat, divina ope, sicuti *Grotio* (*b*) visum est, ut *Vespasianus hac re venerabilior imperium Romanum facilius adipisceretur, lectus quippe Deo judiciorum ipsius in judæos minister*; sed simulatè, sicuti de HADRIANO, itidem cæcis lumen oculorum reddente, legimus apud *Spartianum*, (*c*) qui *hæc per simulationem facta* bonâ fide pronunciat.

Alius iterum huc referebat commentum Gallorum de *Ampulla Rhemensi*, in qua, CLODOVÆO Francorum Rege baptis-

 mum

a. Histor. IV, 81. *b*. Lib. IV, de Ver. Rel. Chr. § VIII, p. m. 198. *c*. In Vita Hadriani Cap. XXV.

mum suscipiente, oleum per columbam cœlo demissum perhibent. Quam quidem fabulam meritò suspectam eruditis videri, qui *absque fuco eam non esse*, (*a*) sive, *vanum commentum esse, ad auctoritatem Regibus suis conciliandam, excogitatum* (*b*) non dubitant, monebat.

Idem porro in *Magiæ Aulicæ* officina hoc ab omni fere memoria obsërvitari docebat, primum quidem, ut *Religio* ministra adhibeatur; ἧττον γάρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα, (*c*) *minus enim populus timebit injustè tractari a principe, quem religiosum credit*: deinde ut *Sacerdotes*, qui ventos populares facere & moderari possunt, blandè captentur & adjungantur. Quam in rem exempla allegabat non *Numæ* tantum, non *Zamolxis*, non *Ægyptiorum Sacerdotum*, qui Vespasiano apud *Tacitum* (*d*) adulantur: sed in primis notabile illud consilium, quod ALEXANDER (JOANNUS quoque dictus, qui regnum Pontificatui adjungens, Judææ XXVII annis præfuit) moriens uxori dedit, ut securè vivere posset, *Pharisæis* ἐξουσίαν τινα *permittendam esse: posse enim plurimum apud Iudæos, sive exosum aliquem cupiant*

a. Vid. Morhof. Polyh. Philos. Lib. II, P. I. Cap. VIII, p. m. 307. *b*. Vid. Buddæi Parerga Histor. Theol. p. 302. *c*. Aristot. de Rep. L. V, cap. XI. *d*. Loc. Cit.

piant reddere, sive amicum juvare. Nam vulgus his magnam fidem habere, etiamsi per invidiam de aliquo male loquantur. (a)

XXIV.

Excerpta ex Legibus CHRISTIERNI II, Regis Daciæ, Sueciæ, Norvegiæ, &c.

AD illustrem atque Spectabilem civitatis nostræ Ripensis Præsidem me quodam die venire memini, cum ille pro more suo lectionibus otium & animum oblectaret. Volumen, quod is eo tempore in manus ceperat, unum atque alterum antiqui Juris Patrii Librum complectebatur, in quibus erant CHRISTIERNI II, Regis Daciæ, Sueciæ, Norvegiæ, &c. *Leges Ecclesiasticæ* & *Civiles*, ab illustri nostro *Petro Io. Resenio* Hafniæ Anno 1684 in 4. primum editæ, Liber non ubivis obvius neque cuivis notus. Hujus vel prima inspectio, eam antique novitatis gratiam sibi apud animum meum invenit, ut potestatem ipsius domi meæ mihi fieri peterem. Qua haud difficulter a perfacili perque benigno hospite impetratâ, cum de vita Conditoris harum legum multa agitassemus, do-

a. Joseph. Antiq. L. XIII, Cap. XXIII.

domum tandem proficiſcor, Codicem meum cupidè perlego, ſanctiones, quæ vel antiquitatem vel jucunditatem aliquam habere videbantur, enoto. En *Excerpta*, Latinô ſermone a me animi gratiâ reddita!

Scilicet & Capite II LEGUM ECCLESIASTICARUM, pag. 1, diſco, tum qualis habitus ſollemnis eorum temporum Epiſcopos deceat, tum quam muſicè illi vixerint. Verba Legis hæc ſunt: „ Quoties Epiſcopi „ Regni noſtri ad Regem in Comitiis aut alio „ in tempore veniunt, habitum *ſubtilem* (*ſub-* „ *til* in ipſa Lege ſcribitur, qui alias merca- „ toribus dicitur *ſucket*) gerunto, tam cum „ equo vehuntur, quam cum pedites ince- „ dunt, ut vulgus a ceteris eos Doctoribus „ dignoſcat. Neque vero, quod hactenus „ fieri conſuevit, tibiæ aut tympana iis præ- „ cinunto, — "

Cap. III. ibid. docet, quum Miſſa coram Rege in Comitiis peragitur, quâ reverentiâ & pompâ Euangelium, ubi ad ſummum altare recitatum fuerit, a principe quodam Præſulum, qui adſunt, Epiſcopo offerri oporteat, atque prius, quam Regiæ Majeſtati oſculandum præbeatur, adorari.

Caput IV. pag. 2. numerum ſervorum, qui Præſulem in itinere comitentur, item venaticum jus cœnobitarum ita coërcet, ut Epiſcopum iter facientem non plures quam XII aut XIV famuli, Archiepiſcopum vero equitantem XX juvenes cum equis cataphractis in poſte-

posterum prosequantur: deinde ut *Antworschovienses*, *sorani*, aliique majores Cœnobitæ ad captandas feras haud quaquam plures canes quam quatuor inquisitores & cursores totidem alant: minores vero par tantum horum, par illorum.

In Capite X. pag. 4. de *Musica Sacra*, succentori, si in officio præcinendi erraverit, multa indicitur: deinde *Coralibus* (ita vocantur) pueris certum genus habitus (Danicé *Röchling*) imperatur, nec non frequens in nova *Mensura* (verbum ipsum retineo) exercitatio.

Capite XV, pag. 5. cavetur, „ Nequi Præ„ sules aut Equites, horumve filii aut pedis„ sequi oblongo quoquam telo, præterquam „ consueto, in civitatibus utantur: Neve ci„ ves, mercatores aliive arma in illis gestent, „ præterquam Satellites Regis, hujusque „ corporis custodes, item, quibus jus teli „ gestandi est, Regis armiger (*Profos*) ejus„ que ministri". Conf. Leg. *Civil.* Cap. XVIII, pag. 50. de multa pecuniaria, siquis, adversarium habens, sive noctu sive interdiu armatus deprehensus fuerit.

Ex Capite XVII, pag. 6, quantopere Legislatori nostro cælibatus Clericorum displicuerit, quos ad rem uxoriam tacitè hortatur, haud obscurè apparet: „ Præsuli, sacerdoti „ aut Clerico sive Regulari sive seculari Præ„ dium quodquam sive Urbanum sive Oppi„ danum post hac coëmere licitum non esto,

 „ nisi

„ nisi Doctrinæ *Pauli*, qui in I Epistola ad „ Timotheum Cap. 3. uxores ducere iis suadet, obtemperare velint, moreque majorum matrimonia capessant".

In Capite XXI, pag. 7. *Christiernus* noster, Ecclesiâ suâ etiam tum potestati Pontificis Romani parente, jurisdictionem Romanam frangere incipit, dum in hunc modum sancit: „ Ne homines Ecclesiastici, qui controversantur, peregre, Romæ aut alibi, sicuti hactenus factitatum est, jus suum vindicare cogantur, quod in patria obtineri hucusque non potuisse queruntur: instituimus volumusque, ut lites cunctæ in posterum intra Regnum nostrum in Curia Camerali coram Doctoribus & Magistris, quibus hoc negotium damus, agitentur atque finiantur. - -" Conf. *Leg. Civil.* Cap. LXXXII, pag. 65, ubi *Roschildia* civitas, sedes hujus Judicii denuntiatur.

Idem, quanta quamque invisa sibi Episcoporum suorum avaritia fuerit, Cap. XXXI, pag. 10. his verbis testatum relinquit: „ Ubi „ sacerdos intestatò moritur, ibi Episcopus „ relicta bona non sine summo scelere universa rapit, quod in posterum fieri nolumus. - -" Conf. *Leg. Civil.* Cap. XCVIII, pag. 69, de Testamentis Sacerdotum.

Caput XLIX. pag. 17. jubet Judices prius, quam judicium exercere incipiant, Missam audire: quod in *Legibus Civilibus* Cap. VIII, pag. 45. his verbis repetitur: „ Volumus,

„ ut

„ ut *Scultus* noſter, (ita vocatur ſupremus
„ diſciplinæ publicæ magiſter) Conſules at-
„ que Senatores in qualibet civitate imperii
„ noſtri quotidie prius, quam jus dicturi pe-
„ dem in curiam inferant, Miſſæ inter
„ ſint. - - -"

Caput CXXIX. pag. 38. de *Conviviis*, eô notandum duxi, quod licentiam publicè per plateas diebus feſtis nec non veſpera Joannea ſaltandi concedit, quæ hodieque a profeſta plebe hic illic ſervatur.

Sequuntur *Excerpta* ex LEGIBUS CIVILIBUS Ejuſdem.

Ex Capp. XXXV. & XXXVII. pag. 54. ſq. diſco, primum *Gotlandiam* antiquitus perfugium homicidis præbuiſſe: deinde morem fuiſſe, ut Principe ſive patriæ ſive peregrino urbem quampiam intrante, cunctis hujus captivis, non infamis criminis cauſa damnatis, ſalus & libertas ſua reddatur.

Quo in ſtatu *res tabellaria* eorum temporum fuerit, Caput LXIII, pag. 61. indicat:
„ In qualibet civitate duo aut tres, prout
„ neceſſitas poſtulaverit, curſores publici or-
„ dinantor; quorum officium eſto, epiſto-
„ las perferre, iis, a quibus mittuntur, pro
„ ſingulis milliaribus diobolare pretium tam
„ æſtate quam hyeme anni reddentibus."

Caput LXX. pag. 63. Capitalem *falſis rumoribus* pœnam denuntiat, cujus hoc exem-

plum est: „ Compertô, multos dari, qui
„ falsos rumores ferunt, & mendaciis patriam
„ implent, jubemus, ut, qui deprehensus
„ fuerit, a *Sculto* custodiatur, usquequo men-
„ dacem famam esse liquidò constet, quam
„ tum auctor capite luito." Conf. Leg. *Eccles*. Cap. CXXIII. p. 37.

Caput LXXI, ibid. meretriculas adversus injurias tuetur. Audi legem: „ Impudicæ
„ quælibet feminæ, quæ in civitatibus quæstum corpore faciunt, non quidem in plateis juxta honestos cives domicilium habento. His autem propria quædam in urbe
„ sedes, ubi junctim universæ habitent, assignator. Volumus porro, ut decoras vestes gerere non modò illis liceat, sed ut pro
„ facultatibus suis etiam gerant ita tamen, ut
„ palla, quæ ab honestis matronis eas distinguat, non utantur: denique tuta earum
„ corpora ab injuriis esse volumus, quas si-
„ quis intulerit, is capite pœnas dato." Quò accedit Cap. LXXII ibid. „ Quod si quis in
„ hujusmodi meretricum ædibus pecuniam
„ vestesve profuderit, ea res in judicium
„ non adducitor. Harum tamen mulierum
„ in numero minimè istæ habentor, quæ cum
„ uno tantum amatore consuescunt; quin opportunum his habitaculum in qualibet urbis parte conceditor, nisi ubi frequentior
„ mercatura exercetur.

Caput LXXXIX; p. 67. superstitiosas quasdam Papismi veteris consuetudines attingit,

git, quas Legiſlator noſter meritò in ipſis Eccleſiæ ſuæ tenebris exſecratur hâc ſententiâ: „ Peſſimo hactenus more receptum in civitati- „ bus noſtris fuit, ut qualibet die Dominica, „ eô tempore, quô in ædibus civium prande- „ tur, Miniſtri Sacerdotum Oſtiatim Aquam „ Luſtralem circumferant, eos, qui cibum „ capiunt, pretii cauſa conſpergentes: quod „ in poſterum fieri nolumus. —— Neque „ vero Sacerdotes aut Miniſtros Sacerdotum, „ qui Veſpera Paſchali cibos conſecrant, fe- „ rendos audiendoſque volumus.

X X V.

De Feſtis quibusdam Puerorum.

QUô primum tempore ad Cathedram Ri-penſem acceſſeram, mos a majoribus traditus fuerat, ut anniverſarius quidam honos Calendis Majis a juventute Scholaſtica per-ſolennis haberetur. Is, ſicuti a Clariſſimo noſtro *Petro Terpager* accepi, in hunc modum peractus fuerat. In colle quodam ſuburbano (*Lögböy* dicto) convenitur: hinc in urbem deſcenditur, unô alumnorum ſextæ Claſſis (*Comite Majo* dicto) duce, cujus pileus frondibus, veſtes auro gemmiſque diſtinctæ erant, hypodidaſcalis agmen proſequentibus. Intratâ urbe adcivium honeſtiorum fores gradus fiunt, cantantur carmina, pretium refertur.

De

De origine hujus Consuetudinis, jam ex sapientiorum consilio inter nos desitæ, quæsitum quondam tractatumque in Collegio nostro memini, cum *Polydorum Vergileum* mihi dari juberem, ex eoque, ut ethnicis primum, deinde Pontificiis eam deberi docerem, hæc verba prælegerem: (*a*) „ Est item consuetu- „ dinis, ut juventus promiscui sexus lætabun- „ da Cal. Maji exeat in agros, & cantitans „ inde virides reportet arborum ramos, eos- „ que ante domorum fores ponat & deinde „ unusquisque eo die aliquid viridis ramusculi „ vel herbæ ferat, quod non fecisse pœna est, „ præsertim apud Italos, ut madefiat. Hæc „ vel a Romanis accepta videntur, apud quos „ sic Flora cunctorum fructuum Dea mense „ Majo lascivè colebatur; vel ab Atheniensi- „ bus sunt, quod ille in fama in templo Del- „ phico ἱρεσιώνην, id est, iresionem pone- „ bant, hoc est, ramum olivæ, sive lauri „ plenum variis fructibus. " Ubi tamen monebam, me a *Polydoro* nonnihil dissentire, quum origo non a *Flora*, ut ille existimat, sed a dea *Maja*, (Vulcani uxore) cui *flamen Vulcanalis Kalendis Majis rem divinam fecisse* perhibetur, (*b*) repetenda mihi videretur.

Hinc ad consimile *Festum Gregorii Magni*, quod die XII mensis Martii in Gymnasiis Germaniæ celebratur, sermone derivatô, Colle-

a. L. V. de Rer. Inv. Cap. II, p. m. 302.
b. Macrob. Saturnal I, 12, p. m. 245.

legarum unus Programma viri Celeberrimi *Jo. Mölleri* de GREGORIO MAGNO, editum Flensburgi A. 1722 in medium profert, nobisque hunc locum commonstrat: (*a*) „ Festum Gregorii licet in Athenæo nostro „ (*Flensburgensi*) aliisque vicinarum regionum, „ juventuti vacationem paucarum tantum horarum a laboribus impetret Scholasticis, in „ plerisque tamen Germaniæ, præsertim superiores, Lyceis Lutheranis majori pompa „ solet celebrari. In his enim quotannis die „ hoc D. Gregorii sacro memoriæ, cœtus „ Scholastici, ducibus commilitonum uno, „ Episcopo a ceteris electo, vestibusque dignitati isti sacræ congruis indicto, & albatis illius satellitibus, nomina sibi Angelorum tribuentibus in publicum prodeunt, ac „ singulas pervagantes plateas, cantilenis piis „ divina in se celebrant beneficia, puerosque „ alios ad Scholas invitant frequentandas.

Postea ad veteres Festorum Puerilium memorias perventum est, atque primum quidem ad *Quinquatria* Romanorum, *a junctis quinque diebus* sic dicta, (*b*) quibus pueros feriari solitos fuisse indicat *Horatius*: (*c*)

Ac potius, puer ut festis Quinquatribus, olim
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.

De

a. Pag. 4. *b*. Ovid. Fast. III, 810. *c*. L. II, Epist. II, v. 197.

Dehinc subeunt Atheniensium Ἑρμαῖα, *Hermæa*, tam puerorum, ut videntur, oblectationi, quam memoriæ Mercurii dicata, de quibus *Plato* in Lyside, sive de Amicitia: (*a*) Καὶ ἅμα ὡς Ἑρμαῖα ἄγουσιν ἀναμεμιγμένοι ἐν ταυτῷ εἰσιν οἵ τε νεανίσκοι καὶ οἱ παῖδες: *Et simul ut Hermæa celebrent, permisti sunt eodem adolescentes & pueri.* Atque mox ibidem: Εἰσελθόντες δὲ κατελάβομεν αὐτόθι τεθυκότας, τε τοὺς παῖδας, καὶ τὰ περὶ ἱερεῖα σχεδόντι ἤδη πεποιημένα, ἀστραγαλίζοντάς τε δὴ, καὶ κεκοσμημένους ἅπαντας. *Ingressi palæstram comperimus ibi pueros, qui sacrificârunt, sacrisque peractis, ornati omnes lusu astragalorum animum oblectabant.*

Neque vero omissus est *Apaturiorum* (Ἀπατούρια, *festum deceptionis*, apud Athenienses) ille dies, de quo idem *Plato*: (*b*) Ἡ δὲ κουρεῶτις ἡμῖν οὖσα ἐτύγχανεν Ἀπατουρίων. Τὸ δὲ τῆς ἑορτῆς σύνηθες ἑκάστοτε, καὶ τότε συνέβη τοῖς παισίν. Ἆθλα γὰρ ἡμῖν, οἱ Πατέρες ἔθεσαν ῥαψωδίας. πολλῶν μὲν οὖν δὲ καὶ ἐλέχθη Ποιητῶν ποιήματα ἅτε δὲ νέα κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα τὰ Σόλωνος πολλοὶ τῶν παίδων ᾔσαμεν. *Erat Apaturiorum solennis dies* Κουρεῶτις: hic tertius festi dies erat, sic dictus παρὰ τῆς κουρᾶς, ἢ τῶν κούρων, a *tonsura*, aut a *pueris*) *quod vero illis festis fieri semper solet, tunc etiam contigit. Parentes enim certaminis loco rhapsodias nobis proponebant: multorum ergo multa Poëtarum* car-

a. pag. m. 107. b. In Timæo, p 523.

carmina recitata sunt ; & Solonis quidem, quod tunc nova essent, plerique nostrum decantavimus.

Postremò, missis antiquitatibus exteris, cum ad sollemnes Ripensium nostrorum Kalendas Majas e diverticulo reverteremur, quæri cœptum est, Rectene Ludimagister ille fecerit, qui *Majum* nostrum *Comitem* de veteri sua dignitate deturbatum, ornamentisque exutum quasi ex urbe & schola ejecit? Erat, qui festi hujùs agitationem non modò omni crimine absolvere haud dubitabat, sed etiam, ut ne majores vecordiæ arguere videamur, revocandam censebat, addens dictum illud vetus apud *Tertullianum* ; (*a*) *Nihil obstrepere religioni in animo & in conscientia tanta solatia* (spectacula) *extrinsecus oculorum vel aurium: nec vero Deum offendi oblectatione hominis, qua, salvo erga Deum metu & honore, suo in tempore & suo in loco frui scelus non sit.*

Huic vero alius quispiam sententiam ejusdem *Tertulliani* in Libro *de Idololatria* (*b*) opposuit. *Quærendum est etiam de ludimagistris & ceteris professoribus literarum. Imo non dubitandum affines illos esse multimodæ idololatriæ. Primum quibus necesse est deos Nationum prædicare ; nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enuntiare ; tum solennia festaque eorundem observare, ut quibus vectigalia sua suppetant. Quis ludimagister sine ta-*

a. de Spectaculis Cap. I. *b.* Cap. X.

tabula VII idolorum, (h, e, ſeptem planetarum, Lunæ, Martis, Mercurii, &c. unde nomina dierum hebdomadis cujusque) *quinquatria tamen non frequentabit? —— Floræ ſcholæ coronandæ. Flaminicæ & Ædiles ſacrificant; creatis ſchola honoratur feriis. Idem fit idoli natali, omnis diaboli pompa frequentatur. Quis hæc competere Chriſtiano exiſtimabit ——?*

Cujus quidem diſceptationis arbitrum quum uterque me eligerent, differri hoc negotium petebam, quoad inveterata Germanorum controverſia de *Feſto Gregoriano* (cujus mentio facta fuerat) dijudicata eſſet, quorum nempe alii hoc *Ethnicum*, *Abominabile*, *Pontificium*, *ſuperſtitioſum*, *impium & blaſphemum* cum clariſſimo Gymnaſii Gothani quondam Rectore, *Andrea Wilkio*, (*a*) atque hujus doctiſſimo poſtmodum ſucceſſore *Gothofredo Vockerodt* (*b*) pronuntiant: alii contrà quam diligentiſſimè vindicant, ſicuti *Wolfgangus Seberus*, Superintendens quondam in Ducatu Franconiæ Hennebergico Schleuſingenſis, Theologus perdoctus, in Orationibus Lipſiæ A. 1605. ſub hoc titulo editis: *Feſtum Scholaſticum, quod vulgo dicunt Gregorianum, in Gymnaſio Schleuſingenſi diſtinctis Orationibus tum impietatis abſolutum crimine, tum vanitatis.*

De-

a. Orat. XLII. *b*. Conſultat. XXIV, §. 3. ſq. pag. 437, nec non Conſult. XXV, §. 4. pag. 443. ſeqq.

Denique quanquam ludicra hujusmodi spectacula haud magnopere mihi probantur, nihilo minus non diffitebar, me haud quaquam videre, quæ religio magis vetet, publico cantu amœnissimum mensem Majum, (quem *Carolus Magnus* der *Wonnemonat* dixit) excipere, quàm anserem Martini Vespertinis cantilenis, ut passim fieri solet, per plateas ornare: cum Carmina, in Kalendas illas antiquitus composita, nihil profanum, nihil honestati contrarium, sed vel laudes providentiæ cœlestis, vel pia pro Principis & patriæ salute vota contineant. Ad hæc ingenuè præ me ferebam, si vetus ille Ripensis ritus eo, quod a Gentilibus aut Pontificiis acceptus fuerat, abrogandus foret, jam fieri oportere, ut pleraque omnia & Ecclesiæ & civitatis nostræ instituta, utpote vel ab his vel ab illis nobis relicta, abjiciantur, mutentur, aboleantur.

XXVI.

De Pœnis Librariorum.

SEdebam nuper in libraria quadam inter complures amicos, quorum unus, in historia litteraria non mediocriter versatus, clarissimorum quorumdam Typographorum fata nobis commemorabat, atque in his præcipuè *Stephani Doleti*, ob religionem A. 1545

Parisiis igne cremati: (*a*) item *Andreæ Wechelii*, A. 1573 in cruentis illis Nuptiis, quas vocant, Parisinis Gallia ejecti, bonis proscriptis, librisque, quos reliquerat, maxime Protestantium, Lutetiæ publicè combustis: (*b*) nec non *Roberti Stephani*, qui a Sorbonicis diu multumque vexatus, horumque crebris injuriis cedere demum coactus, relictâ patriâ Genevam se contulit, multò meliore fortuna dignus: (*c*) & denique *Henrici Stephani*, de quo ex *Cornelio Tollio* (*d*) nobis hæc narrabat. „ Nihil laborum pejus un-„ quam *H. Stephano* cessit, quam scripta pro „ Herodoto Apologia. Isto quippe libro cum „ gravissime in sacrum istum cucullatorum „ ordinem peccasse judicaretur, ignibus fuis-„ set expiandus, nisi imminenti periculo tem-„ pore se subduxisset. Stephano itaque fugâ „ sibi consulente, atque in nivosis Arverniæ „ montibus latitante, cremata a tortore effi-„ gies pro ipso pœnas luit. Unde jocabatur „ sæpe, ut erat ingenio cavillator, *nunquam* „ *se magis riguisse, quam cum Parisiis ustula-*„ *retur*. Multis deinde peregrinationibus diu „ in Germania vagus, cum patriam oblivisci „ non posset, Lugdunum se contulit; ubi

„ opi-

a. De hoc Morhofius, Fabricius, alii. *b*. V. Lomeier. de Biblioth. Cap. IX, p. m. 184. *c*. V. Colomesii Gallia Orientalis p. m. 22. *d*. de Infel. Litter. pag. m. 482.

„ opibus atque ipſo etiam ingenio deſtitutus,
„ in Noſocomio vitæ finem fecit. "

His auditis, quum juſta animos noſtros tantorum tamque præclarè de orbe erudito meritorum virorum miſeratio ſubiret, erat, qui indignabundus optabat, ut piaculares pro his victimæ ii Typographi fuiſſent, qui *Servetum*, qui *Vaninum*, qui *Spinoſam* typis mandarunt, aut horum æquales, maledicos peſtilentesque ſcriptores, hodieque mandant, profani gloriæ divinæ contemtores, impia ſacrilegorum mancipia, publicæ tranquillitatis parricidæ. Idem addebat, ſe indulgentiam Principum ſæpius demirari, qui nequiſſimos iſtos impietatis miniſtros non conquirunt, conquiſitos multant, quo fit, ut bibliothecæ noſtræ honeſta quædam ſterquilinia ſæpe dici poſſe videantur.

Ad quæ ego: Non defuerê, inquam, jam ab omni fere memoria Leges, quæ ſuas Librariorum licentiæ pœnas denuntiârunt. Nihil nunc dico de crudelitate *Domitiani*, qui *Hermogenem Tarſenſem, propter quasdam in hiſtoria figuras, occidit, librariis etiam, qui eam deſcripſerant, cruci affixis*, ut *Suetonius* (*a*) tradit. Potiſſimum vero memento, quæ vel in Aulis Principum, vel in Conciliis Eccleſiaſticis ſuper hac re ſancita leguntur. Agedum audiſis ex antiquioribus Impp. *Valentinum* & *Martianum* in *Codice* de Hæreticis &

L 2 Ma-

a. In Vita Domitiani Cap. X.

Manichæis: (a) *Nulli contra venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere atque emittere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem re proferre. Nemo hujusmodi habere libros, & sacrilega scriptorum audeat monumenta servare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetuâ deportatione damnentur.* Audi *Theodosium* & *Valentinianum* ibid. (b) *Nec vero impios libros nefandi & sacrilegi Nestorii adversus venerabilem orthodoxorum sectam decretaque sanctissimi cœtus antistitum Ephesi habiti scriptos, habere aut legere, aut describere quisquam audeat: quos diligenti studio requiri, ac publicè comburi decernimus: —— Scientibus universis, violatorem hujus legis publicatione bonorum esse coërcendum.* Neque vero posteriorum temporum legum latores ab his multum dissentiunt; quin, ut extera exempla tacitus præteream, non ignotæ, opinor, tibi sunt pœnæ, quas Sanctiones Patriæ Typographis in hunc modum minantur: *Nemo unus Librario quicquam typis describendum prius dato, quàm id ipsum in Regia Academia Hauniensi a Decano, ejus, ad quam argumentum scripti spectat, Facultatis, aliove, cujus recognitioni Decanus, legitimâ ratione præpeditus, scriptum submiserit, Professore perlectum fuerit & comprobatum. —— Contra hanc legem si quid commissum fuerit, excusor æquè*

a. Lib. I, Tit. V, leg. 8, col. m. 170 sq. b. Leg. VI, col. 168.

æquè ac auctor non solum ob relictam ita obedientiam; sed etiam ob argumentum scripti, si non nulla in hoc sint offendicula, puniuntur. (*a*) Item: *Si qui libri etiam, ad seditionem spectantes, aut Majestati Regiæ insidiantes, aliterve detrimentosi, in Regnis ac Regionibus Regis fuerint impressi, vel istuc, postquam alibi typis exscripti sunt, importati; non ii solum, qui istos imprimere, quique impressos importare ausi sunt, pœnas dependunto gravissimas, sed ipsi etiam libri, a Carnifice in ignem injecti, publicè cremantor.* (*b*) Et denique; *Nemo fastos prognosticos in hoc Regno conficito vel imprimito. Omnia quoque Astrologorum prædicta de bello, annonæ difficultate, pestilentia, aliisve id genus casibus ab eisdem exulanto. Proinde etiam fastos ejusmodi typis vel suis describere, vel alienis suo sumtu describendos curare, cuivis excusori librario, sub multa quinquaginta argenti unciarum, interdictum esto.* (*c*) Ad hæc accedunt Decreta Ecclesiastica, uti *Synodi Dordracenæ*, (*d*) nec non *Concilii Tridentini*, cui in hunc modum cavere visum est: (*e*) *Impressoribus modum imponens sancta Synodus, statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero vetus & vulgata editio, quam emendatissimè imprimatur. Nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis li-*

a. Leg. Danic. L. II, Cap. XXI, Artic. I. *b*. Ibid. Artic. IV. *c*. Ibid. Artic. VI. *d*. A. 1617, Sess. XXII. *e*. Decret. IVtæ Sessionis 5 Aprilis 1546. pag. m. 679.

libros de rebus sacris, sine nomine auctoris: nec vendere, nec apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub poena anathematis, & poenæ statutæ in Lateranensi novissimo Concilio. &c.

Placere sibi hæc Decreta amicus fatebatur, sed & dolebat, needum circumcisam veterem Librariorum audaciam ab ipsis etiam Principibus quibusdam tacitè comprobari, quippe qui pessimos sæpe libros *Serveti* & similium non modò ferunt, sed cupidè etiam conquirunt, magno emunt, in bibliothecis suis tanquam quantivis pretii ornamenta reponunt; nisi tamen hoc iis, qui Principum bibliothecis præsunt, magis quàm Principibus ipsis vitio dari oporteat.

XXVII.

De Injuriis quibusdam Christianorum in Gentiles.

STudiosus quispiam haud sane indoctus Libellum *de Injuriis Gentilium in Christianos* animô diu meditatus, consilium pro veteri nostra familiaritate mihi demum aperit. Hunc ego recordari blandè jubebam, jam sæpius atque iterum tum a priscis Ecclesiæ Patribus, tum a pia posteritate hanc causam eloquentissimè oratam esse, ut solum in foro relinqui eum oporteat, qui veteres istas querelas instaurare, & bellum cum defunctis gerere proponat.

ponat. Ad hoc renidens minabar, nisi suum ille consilium mutaret, brevi fore, ut libellus de *Injuriis Christianorum in Gentiles* ipsi opponeretur. Perjucunda hæc amico vox erat, gratum hoc certamen videbatur, in quo ille se fortioribus fulgentioribusque, me contrà hebetioribus armis præliaturum non dubitabat.

Tandem ludô in seriam disceptationem conversô, ille, non nescis, inquit, quibus contumeliis *Tacitus*, *Porphyrius*, *Celsus* Philosophus, sexcenti alii ethnici scriptores religionem nostram certatim oneraverint; quos si animus esset, te patrocinium eorum suscipiente, in judicium cum diis & deabus suis vocare, accusare, urgere, ecquem dabis vel, corruptissimum sanæ mentis Judicem, qui nefando πολυθείας crimine eos absolvat? Ad quæ ego, Faxo, inquam, procul dubio, ut tutemet ipse eos absolvas. Agedum primum memento, hanc ipsam injuriam nobis quoque Christianis a Judæis atque Muhamedanis fieri, qui nos plurium deorum cultores confidentissimè criminantur: deinde recordare, quæso, honorem, quem Ethnici deorum suorum numinibus quondam habuere, a nobismet ipsis eorundem nominibus haberi, quando *Sol*, *Luna*, *Mars*, *Mercurius*, *Jupiter*, *Venus*, *Saturnus*, diebus nostris nomina imponunt: quando Poëtæ nostri *Neptunum*, *Vulcanum*, *Musas*, & nescio quæ non profana vocabulorum portenta inclamant, jam

 olim

olim non a noſtris tantum, *Minucio*, (*a*) *Lactantio*, (*b*) aliisque ſed ab ipſo etiam *Cicerone* (*c*) proinde reprehenſi, & vanitatis ſuæ admoniti. Denique cogita, triplicem eſſe gentilium veterum *Theologiam*, ſicuti *Varro* (*d*) docet, primam *Mythicam*, *qua utuntur poetæ:* ſecundam *Phyſicam*, *qua Philoſophi:* tertiam *Civilem*, *qua populi: hanc vero ad urbem*, *illam ad mundum*, *iſtam ad theatrum eſſe accommodatam:* qua de re copioſius me in *Idea Hiſtoriæ Litterariæ Romanorum* (*e*) diſſerere memini. Atque (pergo) *Philoſophi* quidem ſapientiores unum æternum DEUM unô ore paſſim prædicant, quorum teſtimonia apud *Pfannerum* aliosque cumulatiſſima legas: ne quid de profeſto *Vulgo* dicam, cui unum itidem DEUM in ore fuiſſe ipſi ſcriptores veteres Eccleſiaſtici teſtantur, atque in his *Tertullianus:* (*f*) *Tunc & populus adclamans*, DEO DEORUM QUI SOLUS POTENS EST, — item *Lactantius:* (*g*) *Cum optant*, *& cum gratias agunt*, *non Jovem aut Deos multos*, ſed DEUM *nominant*..&c. Ut receptam illam in Eccleſiis gentilium formulam precandi, ΚΥΡΙΕ ΕΛΕΗΣΟΝ, (*h*) tacitus prætercam, item teſtimonium *Cypriani* (*i*) ſatis illuſtre: *Nam*

a. In Octavio c. 22. *b*. Lib. I, Cap. 9. ad finem. *c*. Lib. I. de Nat. Deor. p. m. 1169. *d*. apud Auguſtinum de Civ. Dei L. VI, c. 5, p. m. 181. *e*. Lib. III, Cap. I, p. 228. ſqq. *f*. Lib. ad Scapulam p. m. 87. *g*. II, 1, 7, ſqq. *h*. Vid. Sermon. noſtr. Vol. I, S. XVIII, p. 73. *i*. Niceph. H. E. L. III, cap. 27.

Nam & vulgus in multis DEUM *naturaliter confitetur, quum mens & anima sui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus,* O DEUS; *&*, DEUS VIDET; *&*, DEO COMMENDO; *&*, DEUS MIHI REDDET; *&*, QUOD VULT DEUS; *&*, SI DEUS DEDERIT. *Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis.*

Speciosa hæc argumenta, hæc testimonia videbantur Amico, qui, cum unum quidem DEUM ex lumine naturæ cognosci non dubitaret, mirari tamen se fatebatur, quid tot tamque diligenter elaborata Patrum volumina adversus gentium Deos, tot delubra, festa & sacrificia gentilium, tot Flamines Diales, Martiales, Quirinales sibi velint, si plurium deorum opinio mentes eorum non imbuisset. Cui ego: Desine, inquam, mirari; Hi non profecto Jovem, non Martem, non Herculem & ceteros divos, quos merita in cœlum evexisse credebantur, aliter coluere, quam Romano-Catholici suas imagines, suos, quos Papa in divorum numerum retulit, Sanctos, Veneti suum *Marcum*, Parisini suam *Genovefam*, Patavini *Danielem* Martyrem, Ulyssiponenses *Vincentium*, Mediolanenses *Barnabam*, Hispani *Mariam* & *Jacobum* majorem, alii alios, de quibus *Antonius Macedo* Lusitanus A. 1687 ingens volumen in fol. Ulyssipone edere non erubuit, inscriptum, quod merito in orbe Christiano

mireris, *de Diis tutelaribus Orbis Christiani.*

Qua quidem controversia non sine pudore nominis Christiani pacata, cum Studiosus meus gentilium immanitatem in nostros a nullo ne eloquentissimo quidem Demosthene dilui posse putaret, decem istorum Ecclesiæ Christianæ carnificum, *Neronis*, *Domitiani*, &c. acerrimus insectator: Ego primum ad *Sermonum* meorum Volumen I, Serm. XXIV pag. 102--107, ubi *Trajanus* Persecutor aliique Cæsares Romani, Regibus Galliæ *Carolo* IX & *Ludovico* XIV comparati excusantur, hominem delegabam: deinde mitissima Principum quorundam gentilium Rescripta pro Christianis ex *Nicephoro* prælegebam, ut HADRIANI (*a*) & M. AUR. ANTONINI PII: (*b*) item testimonium *Melitonis* Episcopi in libello ad Antoninum: (*c*) *Soli reperti sunt Nero & Domitianus, qui ab invidis & male conciliatis quibusdam hominibus* (non privato odio) *persuasi, professionem nostram calumniæ expositam esse voluerunt. — Sed enim parentes tui imperitiam illorum correxerunt, multis sæpe rescriptis eos objurgantes, qui de nobis præter leges & æquitatem quidquam statuere aut tentare fuissent ausi.* —— Addebam porro ex eodem *Nicephoro* laudem illam ALEXANDRI SEVERI & meritum de Chri-

a. Niceph. H. E. L. III, c. 27. *b.* Id. ibid. c. 28. *c.* Id. Lib. IV, cap. 10.

Christianis: (*a*) *Maximinus Cæsar maximum odio ejus, qui eum præcesserat*, ALEXANDRI *Imperatoris, qui magna fuit in Christianos benevolentia, omnesque fere in aula sua nostræ professionis familiares & ministros habuit, contra nos excitavit tumultum.*

Tum Amicus, sed jam iterum, inquit, Christianorum, qui tam infestis animis diffident, qui tot cruenta bella civilia gerunt, qui alia victimâ nisi cæde & sanguine suorum placari se non patiuntur, me profecto pudet. Agedum mittamus miseros Martyres; sub *Nerone ferarum tergis contectos, ut laniatu canum interirent, aut crucibus affixos, aut, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis ustos:* (*b*) sub *Diocletiano* aliisque non ad *insulas*, non ad *carceres*, non ad *metalla*, sed *ignem*, *crucem*, *feras* damnatos, ut *animadversio gladii paucissimis quasi beneficium deferretur:* (*c*) Obeamus potius impia & nefaria spectacula Romanorum, qui sontes qui servos ad pugnam bestiarum dare solebant, merito proinde a *Lactantio* (*d*) his, si rectè memini, verbis accusati: *Hos ludos vocant, in quibus humanus sanguis effunditur. Adeo longè ab hominibus secessit humanitas, ut, cum animas hominum interficiant, ludere se opinentur.* —— *Quæro nunc, an possint pii & justi homines esse, qui constitutos sub ictu*

a. Lib. V. H. E. Cap. 19. *b.* Tacit. Annal. XV, 44, 7. *c.* Lactant. de Mort. Persecut. Cap. 22. *d.* VI, 20, 11 sq.

ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed & flagitant, —. Ego vero, ut ipsis etiam melioribus ethnicis non minus quam Lactantio cruenta hæc spectacula displicuisse docerem, in signem illum *Ciceronis* (*a*) locum homini monstrabam: *Reliquæ sunt venationes, binæ per dies quinque magnificæ: nemo negat. Sed quæ potest esse homini polito delectatio, cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulô transverberatur?* Addebam & alterum illum *Senecæ* (*b*) de vitandis spectaculis, maximè cruentis: *Nihil vero est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. —— redeo crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Casu in meridianum spectaculum* (bestiariorum) *incidi, lusus exspectans, & sales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant. Contra est. Quicquid antè pugnatum est, miserecordia fuit. Nunc omissis nugis, mera homicidia sunt. —* &c. Denique dimicationes illas, quas Hispani hodieque cum tauris subeunt, quas sponte tanquam gloriosas suscipiunt, hominem intueri jubebam.

His missis, Amicus jam ad obscenas Ethnicorum veterum Scenas conversus, abs me quærit, numquid hiscere auderem ad criminationes illas *Lactantii?* (*c*) *In scenis nescio an sit corruptela vitiosior.* (quàm in Spectaculis) *nam*

a. L. VII. Famil. Epist. I. *b.* Epist. VII. *c.* VI, 20, 27 sq.

nam & comicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, —. Hiſtrionum quoque impudiciſſimi motus quid aliud niſi libidines docent & inſtigant? ---- Quid de mimis loquar, qui docent adulteria, dum fingunt? Quid juvenes aut Virgines faciant, cum hæc & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? ---- Adquæ ego: Collige, inquam, quidquid libidinum in theatris, in ludis, in feſtis horum oſtentatur, univerſum hoc, quantum quantum eſt, nihil ferè turpitudinis habere videbitur, ſi cum noſtris, noſtris inquam, Chriſtianorum flagitiis conferatur. Adſpice, quæſo, ut nihil nunc de Scenæ noſtræ laſcivia dicam, adſpice larvatos Europæ ludos, paſſim fere receptos, præterquam in *Anglia*, quæ, ut ait *Polydorus Vergilius*, (*a*) *una omnium regionum perſonatas belluas non vidit, nec quidem vult videre, quando apud Anglos, in re hac præ aliis certè ſapientiores, lex eſt, ut capitale ſit, ſi quis perſonas induerit.* Deinde cogita, quâ fronte ex Chriſtianis Romano-Catholici Ethnicis impudentiam ſuam vitio vertant, ſi oculos ad domeſtica ſpectacula, ad fœdiſſimas Quadrageſimæ ſuæ Solennitates (vulgo *Carnaval*) retulerint, de quibus *Hieronymus Cardanus* (*b*) ſic ſcribit: *Poſt opus aggreſſus ſum Mediolani vacationibus Quadragenariæ, ſeu Bacchanalium potius, Anni*

a. de Rer. Inv. L. V, Cap. 2, p. m. 303. *b*. de Libris propriis p. 49.

Anni MDLXI. *Ita enim non obscurum est nostra ætate celebrari ante quadragenariam vacationes, in quibus ludunt, convivantur, personati ac larvati incedunt, denique nullum luxus & lasciviæ genus omittunt. Sybaritæ & Lydi Persæque vincuntur. Nec tantum bonis operibus ac piis Quadragenaria promerentur, quantum peccant iis Lupercalibus.*

His iterum pudefactus Amicus, postremò jam aliâ Ethnicos viâ aggreditur. Nimirum, ut novam his invidiam faciat, perpendere me jubet, quàm falsò infideles illi nostros quondam criminentur, teste *Theophilô*, (*a*) κοινὰς ἁπάντων ὄσας τάς γυναῖκας ἡμῶν, καὶ ἀδιαφόρῳ μίξει ξυνόντας, ἔτι μὴν καὶ ταῖς ἰδίαις ἀδελφαῖς συμμίγνυσθαι, *Nostras omnium uxores esse communes, & promiscuo concubitu nos uti, ad hoc cum propriis sororibus coire.* Idem porro recordari me jubet, quantò æquius hic noster *Theophilus* (*b*) παιδεραςίαν gentilium accuset, εἰς τὸ ἐκ παίδων μανθάνειν τὴν ἄθεσμον κοινωνίαν, *ut pueri statim ab ineunte ætate impias conjunctiones addiscant.*

Ego vero primum monebam, solis hoc *Græcis* vernaculum vitium fuisse, uti *Athenæus*, qui τῦ παιδεραςεῖν Originem ad *Cretenses* refert, (*c*) item *Nepos* (*d*) tradit, *Laudi IN GRÆCIA duci adolescentulis quam plurimos ha-*

a. ad Autolycum Lib. III, §. 3, p. m. 279 sq.
b. Ibid. § IV, p. 291. *c*. Lib. XIII, cap. 8, p. 602.
d. In Præfatione.

habere amatores, nec non *Cicero* (*a*) de Dionysio tyranno loquitur; *Cum abundaret & æqualium familiaritatibus, & consuetudine propinquorum, haberet etiam, MORE GRÆCIÆ, quosdam adolescentes amore conjunctos, credebat eorum nemini* deinde hoc amoris genus haud quaquam crimen semper habuisse, docebam exemplô *Alcibiadis* adolescentis, tum apud *Platonem*, (*b*) tum apud *Nepotem*, cujus hæc verba sunt: (*c*) *Ineunte adolescentia amatus est Alcibiades a multis more Græcorum: in eis a Socrate, de quo mentionem facit Plato in Sympofio. Namque eum induxit commemorantem*, se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit. Ubi notari jubebam, quod clarissimus *Chr. Cellarius* adnotat: „ Viri in „ republica clari aut sapientia Doctrinaque „ nobiles adolescentulos bono ingenio præ- „ ditos amabant, quò a turpibus studiis vitæ, „ cum perpetuò illis adessent, abducerent. " Cui quidem molliori interpretationi Amicus haud cessavit opponere non modò contrarias sententias *Mureti*, (*d*) *Conr. Rittershusii*, (*e*) *Scipionis Gentilis*, (*f*) & aliorum, sed etiam locum illum *Ciceronis*: (*g*) *Ad Magistros vir-*

a. Tuscul. Lib. 5. *b*. Alcibiad. Dialog. I, p. m. 36 sq. *c*. in Vita Alcib. c. 2. *d*. Lect. Var. L. XV, cap. IV, p. m. 1137. *e*. ad Phæd. L. III, Fab. XX, p. m. 368. *f*. ad Apul. Apol. p. 80. *g*. Tusc. IV, p. m. 1149.

virtutis Philosophos veniamus, qui amorem negant stupri esse, & in eo litigant cum Epicuro, non multum, ut opinio mea fert, mentiente. Quis est enim amor iste amicitiæ? Cur neque deformem adolescentem quisquam amat, neque formosum senem? ---- Denique seriò optabam, ut, quò melior nostra causa foret, ethnici illi non haberent, quæ haud sane leviora flagitia (pudet, piget, tædet dicere *Sodomitica*) Christianis vicissim opprobrent, quamplurimis omnis memoriæ exemplis, quamplurimis ipsorum Ecclesiæ nostræ scriptorum querelis, imo vel unâ *Curiæ Romanæ Taxâ*, si vera Scriptores (a) narrant, satis superque testata.

Dum hæc agitantur, amicus alius litterarum expers ad me visit, finemque sermoni nostro imponit.

a. Vid. Wolff. Lect. Memorab. T. II, p. 831, & Christ. Gottl. Koch de Obscenis Pontif. Decimis Cap. II, § 10 sq. p. 22—25.

XXVIII.

XXVIII.

Iter per Lunam.

Litterator quispiam exterus Magni cujusdam Herois filius Hafniæ quondam a studiis erat, homo non ita quidem indoctus, sed perabsurdô ingeniô & tum maxime docili, cum ab *Anaxagora* disceret, *nivem esse atram*, (*a*) a *Leucippo*, *Mundos nasci*, (*b*) ab *Epicuro*, *neque oculos factos esse ad videndum*, *neque aures ad audiendum*, *neque linguam ad loquendum*, *neque pedes ad ambulandum*, *quoniam prius hæc nata sunt*, *quam esset*, *loqui*, *audire*, *videre*, *ambulare*, (*c*) ab aliis alia id genus deliramenta. Hujus consuetudine cum ego & complures alii Studiosi hilaritatis causâ sæpius uteremur, factum quôdam die memini, cum ex compacto de Habitatoribus Lunæ quæreretur, ut ille tot seculorum ignaviam, inertiamque generis nostri in Itinere ad Lunam investigando, quod a sollerti ingenio & rei nauticæ perito facile inventum iri nullus dubitabat, seriò & graviter accusaret. Tenemus cuncti risum, conticemus, vultus eam constantiam præferimus, ut Lunaticus noster sublimem scilicet opinionem suam non modò

a. Cic. Academ. IV, 23. *b*. Vid. Orig. Philosop um. Cap. XII. *c*. Lactant. III, 17, 19.

tacitè approbari, ſed admirationi etiam nobis eſſe conſideret. Erat tunc inter nos homo lepidus & cavillator, qui locum joci dicundi opportunum ſibi eſſe videns, ut aures animosque noſtros permulceret, ad Litteratorem ſeriô ore converſus: „ Non eſt, inquit, quod „ cum ſollertia humana de ignoto hactenus „ ad Lunam itinere expoſtules: Næ erras, „ næ injuriaris: Jam ab omni fere memoria „ eruditis circa hanc viam ſudor fuit, ſed „ noſtro demum ſeculo eam Gloriam fortu- „ na reſervavit, ut exoptatiſſima novi hujus „ orbis notitia habeatur. Accipe rem per „ profecto mirandam, quam ab ipſo recenti „ Lunæ Speculatore, *Alexandro Seleno*, quum „ nuper Lutetiæ eſſem, accepi. Scilicet hic „ omnium multo clariſſimus peregrinator „ proximô annô migrantibus ciconiis iter ad „ Lunam ſuſceperat, quod hoc ipſô annô „ iisdem revertentibus non ſine ſumma om- „ nium admiratione & voluptate feliciter con- „ fecit. Idem Obſervationes ſuas, grandi „ volumine comprehenſas, pro ſingulari ſua „ humanitate mihi hoſpiti monſtravit, brevi, „ ut ſpem fecit, in manus hominum perven- „ turas, quarum pleraſque ego, datâ pote- „ ſtate, partim litteris, partim memoriæ fi- „ deliter mandavi.

Tum alter: Io! Io! ô cœleſte beneficium, ſi oculis hoc Itinerarium uſurpare quandoque mihi contingat! Te vero, amabo, qui divinum hunc librum attentô procul dubio, uti

oper-

oportebat, animô perlegifti, Te pro amicitia noftra, Te pro eâ, quâ vales, memoriâ, Te per Lunam perque omnia fidera obteftor, eorum, quæ Auctor tuus ignotus ignota narrat, nefcios nos effe ne patiare.

Ad hæc Cavillator: „ Ut defiderio tuô „ medear, accipe ἀξιομνημόνευτα. Nimirum „ primum *Selenus* in Libro I. rationes Itine„ ris fui quam diligentiffime exponit, Quô „ vehiculô, (volatili) Quibus ducibus (Ci„ coniis) ufus fuerit: Ut in vaftum illud „ promontorium, quod maculæ fpeciem ocu„ lis noftratibus præbet, primò omnium de„ latus fuerit, ab incolis poftea, qui ad no„ vos advenas videndos gregatim ex fedibus „ fuis effundebantur, perbenignè perque ho„ norificè exceptus.

Quibus auditis, Litterator ovans exclamat: ô fortunatos feculi noftri mortales! ô beatum, ô omnium, qui vixerunt, qui vivunt, qui victuri funt, præclariffimè de orbe noftro erudito meritum *Selenum*, cujus oculata teftimonia nunc neque de *certis Ciconiarum hibernaculis*, nec de *umbris montium in Luna* amplius nos dubitare finunt! Valeant in pofterum, qui Ciconias five in Ægypto aliisve calidis regionibus hiemare, five in ftagnis & lacubus delitefcere temere hactenus fibi aliisque perfuadere voluerunt! ego profecto mihi gratulor, quod verifimile mihi femper tacitè vifum eft, id jam verum effe, exploratum, compertum. Valeant porro, qui *Pythago-*

ram, qui *Anaxagoram*, qui *Plutarchum* & horum posteros Astrologos, quia Lunam terræ nostræ similem esse atque habitari credidere, derisui habuerunt! ego profecto cum tantis philosophis, ubi res in conjectura posita est, semper errare malui, quàm cum vulgo vera sentire. Valeat *Gassendus*, qui fidem *Rubenio* non habet, ad *Peirescium* scribenti, *versari apud se pictorem*, *Heynum nomine*, *qui retulerit*, *conspectum sibi fuisse penes Drebellium tubum opticum*, *cujus beneficio liceret in disco lunæ discernere campos*, *silvas*, *ædificia & munimenta locorum nostratibus non absimilia*. (*a*)

„ Deinde (pergit alter) *Selenus* in Libro „ II *Animalia Lunæ decies quinquies majora* „ *quàm nostra*, atque *Orbem* ejus, quem suis „ se pedibus metatum prædicat, *duodeviginti* „ *partibus vastiorem quàm terram* nostram de- „ scribit. " *Animalia majora? Orbem Lunæ vastiorem?* inquit Litterator. Quàm rectè itaque divinavit sagacissimus ille *Xenophanes* apud *Lactantium!* (*b*) quàm rectè *Pythagorei* apud *Plutarchum!* (*c*) alii sapientiores. Valeant in posterum, qui *Lunam Terrâ* nostrâ *minorem*, imò *quadragies minorem* esse ratiocinantur cum *Gerh. Jo. Vossio* (*d*) aliisve, quibus ut accredam, nulla hactenus ratio mihi im-

a. Vid. Gassend. in vita Peiresc. Lib. V. ad ann. 1635. *b*. III, 23, 12. *c*. Lib. II, de Placitis Philos. Cap. 30. *d*. Lib. II, de Theol. Gentil. cap. 18.

imperare potuit, multo minus in posterum imperabit.

Tandem (nam per singulas quæstiones & narrationes ire longum foret) hic abs illo percontatur, Quibus naturæ beneficiis, Qua imperii forma, Quibus legibus, Quibus disciplinis, qua religione, &c. homines isti in Luna utantur? Ad quæ callidus noster dissimulator: „ Amœnitate, inquit, omnia ibi plena sunt: fruges sponte proveniunt: „ metitur quidem, sed absque labore: vivitur absque fame, absque siti, absque morbo: Non aulæ, non tuguria, non ordines populares illic cernuntur: incolæ nullô Magistratu, nullis legibus reguntur, quippe qui virtutem & justitiam eâ constantiâ & fide colunt, ut Luna ipsa prius a meta sua aberratura sit, quàm hi a via innocentiæ vel transversum digitum discedant: Libris & bibliothecis, ne oneri sint, ne cursum Lunæ impediant & pondere suo aggravent, natura eos providentissimè liberavit: Disciplinis ingenia eorum non exercentur, sed solis animi contemplationibus occupantur: Sapientiæ eorum hoc specimen est, quod discrimen inter dextram & sinistram prorsus ignorant: unô verbô, in beatissimo integritatis statu illi vivunt, nunquam nisi post centesimum ætatis annum mortales, absque sensu tamen mortis aut mortalitatis."

Tum credulus alter opinator: Jam de-

mum, inquit, deceptum me ab *Origene* video, qui me ad credendum induxerat, homines in Luna & reliquis planetarum orbibus eâdem, quâ nos, conditione nasci, vivere, mori, eôque factum, *ut Christus pro his mortem successivè obierit:* Jam sapientissimum *Thomam Campanellam* rectius docuisse video, *Deum cum Terræ incolis fœdus pepigisse, ejusque solum memoriam voluisse exstare; de ceteris nos securos esse posse: fortassis & illic* (in planetis) *homines sanctos innocentesque & in statu incorruptô remansisse, ut satisfactione Christi non indigeant.*

Jam eò progressa erat oratio, ut teneri, quin in cachinnum effunderemur, vix possemus: quapropter hominem intempestivum maturè, ne in offensionem ipsius incurramus, relinquimus, atque cum nova sapientiæ accessione valere tacitè jubemus.

XXIX.

Μὴ καταδικάζετε —— *Luc. VI. 37.*

SUperbus quidam & perasper vitiorum generis humani Censor, qui nimiæ pietatis opinionem habebat, cum defunctæ cujuspiam matronæ, quæ Paulo vinosior vixerat, mentio forte me præsente incideret, inclementiorem de hujus salute Sententiam ferebat, acerbissimô ore, secus quàm Antistitem opor-

oportebat, famam ipsius lacerabat, palam professus, se, quin orci thesauro hæc anima tradita esset, minime dubitare. Quo ego fulmine attonitus.

Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus:

mirabar insolentiam confidentissimi homuncionis, tantum sibi arrogantis, ut insanâ sui fiduciâ elatus, imbecillitatis propriæ immemor, quasi emendatissimus & nullius culpæ sibi conscius, personam judicis in causa divina occupare haud vereretur: Monebam placidè, boni viri non esse, defunctis morbos animorum exprobrare, nullius nisi inverecundissimi esse, de salute æterna proximi, quæ penes supremum vitæ & necis arbitrum est, disputare: ad hoc, ut coram tot testibus profanis, qui aderant, tam male defunctæ dicere quiesceret, blandè intercedebam. Quâ voce cum ille exasperatus, mutatô colore malum & convitia minari mihi videretur, jam repente ex conspectu ejus tanquam ex incendio effugi, meque domum recepi. Brevi post, quum otium mihi quodam die esset, ut animum hominis Antistitis a sancta feritate ad Christianam mansuetudinem traducerem, Epistolam ad ipsum scripsi, cujus exemplum apponere lubet.

Vir plurimum reverende,

„ Non dubito, in memoria tibi esse tem-
„ pus, quô te postremum vidi, quô defun-
„ ctam matronam A.. B... quia vino paulo
„ intemperantius dedita fuerat, e civitate bea-
„ torum pro auctoritate tua præcipitem ex-
„ turbasti, quô prope erat, ut, nisi maturè,
„ altercationis evitandæ causa, quam odisse
„ & vitare soleo, in fugam honestam me de-
„ dissem, hostilem in me impetum fecisses.
„ Pone supercilium, Amice: pone piam fe-
„ rociam, pone arma, animumque ad pa-
„ cem & indulgentiam compone: Non pro-
„ fecto consilium est, bella pro vitiis huma-
„ nis suscipere: (DEUS meliorem mentem
„ mihi!) non is sum, ut cum ebritate in gra-
„ tiam te reducere adnitar: quin potius ego,
„ si quis unquam *Pythagoras*, temulentiam
„ fugio, exsecror, detestor, & detestandam
„ suadeo. Inducias tantum a te peto, V. C.
„ ut in hac vita neminem hominem prius,
„ quàm id negotium tibi aliisque Sanctis rite
„ datum fuerit, exhæredem æternæ beatitu-
„ dinis præpropere pronunties. Memento,
„ te medicum animarum esse, qui intercuti-
„ bus ipse vitiis mades: Memento, te ho-
„ minem de homine judicare: Memento, in
„ hoc plerosque nostrum Christianorum ip-
„ sis Muhamedanis imo gentilibus deteriores
„ esse, quod, tanquam demandatô nobis ju-
„ dicis officiô, promiscuè non modò Ponti-
ficius

„ ficius Lutheranum ſive Reformatum &
„ viciſſim, ſed & unumquemque morta-
„ lem, quô ſanctiores nos ipſi nobis vide-
„ mur, condemnare haud dubitamus. Li-
„ beraliores profecto ſunt *Muhamedani*, qui
„ *quemlibet ſive Judæum, ſive Chriſtianum,*
„ *dummodo ſanctè vivat, in ſua lege ſalvari*
„ *poſſe* docent: Mitiores ſunt ex Gentilibus
„ *Stoici*, qui, ut auctor eſt *Plutarchus* in
„ quarto *de Placitis Philoſophorum* Cap. 7,
„ animam impuram non affligi, non crucia-
„ ri, ſed pœnæ loco una cum corpore ex-
„ ſtingui crediderunt, quaſi in ludo Rabbi
„ *Davidis Kimchi* edocti, qui *Pſalmi* I. ver-
„ ſum quintum ita (Latinô *Ambroſii Januier*
„ ore) interpretatur: *Propterea improbi, qui*
„ *ambulant in via mala, quamdiu degunt in*
„ *hoc ſeculo, non reſurgent in judicio; vult di-*
„ *cere, in die judicii: hoc eſt, in die mortis*
„ *non erit eis reſurrectio. Quod etiam de peccatori-*
„ *bus dicendum eſt, & idem item de deriſoribus*
„ *eſt judicium, quibus non erit reſurrectio in cœtu*
„ *juſtorum; quia juſtis in morte erit reſurrectio, at*
„ *improbis non erit reſurrectio: ſed peribit illorum*
„ *anima ſimul cum corpore eorum in die mortis..*---
„ Qua quidem in ſententia Patrum quoque ve-
„ terum nonnullos fuiſſe non ignoras. Deinde
„ quæſo te, qui ſacras litteras profiteris, quo-
„ modonam auditoribus tuis exponis illud Sal-
„ vatoris cœleſte monitum apud *Lucam* VI,
„ 37, Μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε· μὴ κατα-
„ δικάζετε, καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε. ἀπολύετε,

 „ καὶ

„ καὶ ἀπολυθήσεσθε? quomodonam illud *A-*
„ *postoli* 1 Corinth. IV, 5, ὥστε μὴ πρὸ καιρȣ̃
„ τι κρίνετε, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ Κύριος ------? quo-
„ modonam illud ejusdem Roman. XIV, 4,
„ Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; Τῷ ἰδίῳ
„ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει? Imo vero unde tibi,
„ ſodes, tibi frontem judicis, qui ipſe reus
„ es, & in foro Juſtitiæ divinæ, accuſatrice
„ Conſcientiâ, mutus atque elinguis? Re-
„ deat tibi in memoriam admonitio *Pauli*,
„ itidem ad Romanos II, 1, ſq. Διὸ ἀναπο-
„ λόγητος εἶ ὦ ἄνθρωπε πᾶς ὁ κρίνων. ἐν ᾧ γὰρ
„ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις· τὰ γὰρ
„ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων. Οἴδαμεν δὲ ὅτι τὸ
„ κρῖμα τȣ̃ θεȣ̃ ἐστι κατ᾽ ἀλήθειαν ἐπὶ τȣ̀ς τὰ
„ τοιαῦτα πράσσοντας. ----- Cogita, obſecro
„ te, quantopere Salvator ipſe argutulas ho-
„ minis diſputationes de ſalute alterius ſibi
„ diſplicere tacitè fateatur apud *Lucam* XIII,
„ 23 ſq. Εἶπε δέ τις αὐτῷ, Κύριε, εἰ ὀλίγοι
„ οἱ σωζόμενοι; Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτȣ̀ς. Ἀγωνί-
„ ζεσθε εἰσελθεῖν διὰ τῆς στενῆς πύλης. --------
„ Denique, ſi ſalutem generis humani op-
„ tas, opta, quæſo, mecum, ut impia il-
„ lius, maximè Eccleſiæ Chriſtianæ, præ-
„ judicia quam ocyſſimè tollantur: quibus
„ ſublatis, non dubita, fore, ut Societas
„ Chriſtiana, quæ ad hunc diem muſicæ
„ teſtudini ſimilis propter multiplices chor-
„ das inſcitè diſſonat, ſimplicem concentum
„ edat, ſuaviores ſonos auribus DEI præ-
„ beat, lyræ Davidicæ inſtar impuros ſpiri-
„ tus

„ tus longius a nobis depellat. Quod re-
„ liquum est, fac a te ipso hoc impetres, ut
„ æquus miseriæ communis humanæ æstima-
„ tor sic aliis ignoscas, tanquam ipse quoti-
„ die pecces, cum ita peccatis abstinere ne-
„ queas, ut nemini ignoscas. Vale & ignosce

Amico & monitori fidelissimo
C. F.

Ad hæc alter parum humanè, minus Latinè, minimè, ut ego quidem arbitror, Christianè in hunc modum rescripsit.

Bone Magister,

„ Valde admiratus sum ob importunitatem
„ tuam, quod correctionem mihi dare velis,
„ quasi directionem super me haberes. Facile
„ est videre, te studiosum profanum esse,
„ imo pene dixerim semi-Christianum, qui
„ veram Theologorum nostrorum doctrinam
„ non multum curat, quasi genera singulo-
„ rum salvari possent, quasi perinde
„ sit, sive homo sit Lutheranus sive
„ Pontificius sive aliud, item sive sanctè sive
„ malè vivat. Si quis dicat, te habere fron-
„ tem, ille mentitur; quum tam effrons es,
„ ut in judicia Theologica te immiscere au-
„ deas. Ego neminem condemno *pro Aucto-*
„ *ritate mea*, ut infrontatè scribis, sed juxta
„ S. Scripturam, quæ docet, neminem
„ ebrio-

„ ebriſum, inceſtuoſum, &c. ingredi in regnum cœlorum. Atque ſecundum hanc regulam condemno non tantum potacem illam matronam, de qua ſcribis, ſed etiam *Saulum*, *Salomonem*, *Phariſæos* & *Judæos* omnes, ad religionem noſtram non converſos, *Muhamedanos*, *Romano-Catholicos*, *Reformatos* & reliquos non Lutheranos. Mones me, ô pater miſericordiæ, ut miſeriæ humanæ compatiens ſim, ſed ego te moneo, ut magis rigoroſus ſis pro Juſtitia Vindicativa, & non tam neutralis adverſus eos, qui vel in negotio Religionis cum nobis non concordant, vel ſcandaloſam vitam vivunt. Ego utroſque ſicuti & omnes ſyncretiſtas exſecror & condemno, dum vocor,

P. H. K.

Quibus perlectis, cum ex invicta animi obſtinatione & perpugnaci hominis ingenio graviſſimas injurias in caput & exiſtimationem meam redundare cernerem, pactionem ipſe mecum feci, tantum abfore, ut in hujusmodi certamina cum hujusmodi gladiatoribus in poſterum deſcendam, ut contra, ne vel de Chriſtiana manſuetudine vel tranquillitate animi mei quidquam perdam, os prius mihi lædi, aures & capillos pervelli, membra vulnerari patiar.

XXX.

XXX.

De Vera Animi Magnitudine.

DUo ſpectabiles Academiæ noſtræ Hafnienſis Profeſſores, quorum memoriam gratô ſemper animô proſequor, pro ea, quam erga me habebant, voluntate, conſiliô de honoribus & ſtipendiis vitæ meæ augendis clam A. 1719 initô, ſupplices a Sereniſſimo glor. mem. FRIDERICO IV, ut in ordinem Profeſſorum me evehat, petierant, adjutore Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Univerſitatis Patrono D. . W. . uſi. Petentibus Auguſtiſſimus patriæ Pater perfacilem ſe præbet, petitum ornamentum clementer mihi decernit, Fautoribus duumviris, qui hoc negotium me prorſus inſciente ſuſceperant, ſpem gratiæ de me promerendæ facit. Quid fit, per amicum, qui felicitatem ſuam ex mea æſtimabat, qui ſedulo mea cauſa in ſinu lætabatur, rem mature reſcio: nec mora: ad Illuſtriſſimum Heröem, dum ferrum meum adhuc in igni eſt, datâ Epiſtolâ, deſponſum mihi honorem haud aliter ac malum ſeriò a me deprecor, tum quod in Academia Hafnienſi ſola fere Theologia in pretio eſt, tum quod, ſi vel maxime reliquis artibus & diſciplinis ſuus honos conſtaret, peſſimus hic mos in ordine Profeſſorum Philoſophiæ jam pridem invaluit, ut, qui in litteris Orientalibus

libus aliisve tanquam tabernaculum vitæ collocavit, cras aut perendie migrare, exulare, alterius auctoritati cedere, & geometriam, cujus sæpe ne primas quidem lineas attigit, profiteri cogatur.

Exoneratus adeo hoc metu cum plumbeas fautorum iras, quasi honor ille Academicus plumâ levior mihi visus fuisset, incurrerem, cum vario sermone differrer, cum plerique abjectionem animi mihi exprobrarent:. erat Patronus quidam literatus, qui re auditâ non modò acriter me quodam die objurgabat, sed etiam, quia tantô fortunæ beneficio uti nolueram, omnibus prorsus beneficiis indignum me pronuntiabat. Cujus quidem offensum animum ut honestis rationibus placarem, hac oratiuncula me usum memini.

„ Querulum est, in quo vivimus, seculum. Aliud ex alio concupiscitur, quasi non habeamus, quæ habemus, sed habituri simus. Communis hic generis humani morbus est, ut optet, atque cum optat, virtutem in consilium non adhibeat, ut cupiditates in longinquum mittat, ut, quod proprium ægri est, mutationibus tanquam remediis utatur. Plerique titulos suos cum luna accrescere optant, immemores, Lunam, quum plena est, tum vero minui atque senescere. ô Vanas atque pusillas mortalium mentes! Ego vero, ô Patrone, sapere tibi non videor ego humili animo esse videor, quia conditionem Academicam ceu

At-

„ Attalicam quandam non accepi: Næ er-
„ ras. ego profectò arduæ & excelsæ mentis
„ sum: ego, ut virum decet, gloriam magni
„ facio, umbram & imaginem gloriæ pueris
„ admirationi esse jubeo. Auram popularem
„ captent, etiam qui in excelso ætatem agunt;
„ gaudeant se a plebe suspici & frequentari,
„ vernilibus servorum parasitorum, adula-
„ torum officiis certatim colantur: Ego mul-
„ tò honestiore conversatione utor: utor
„ DEO, utor PATRIA, utor REGE,
„ utor BONIS: nimirum DEO, cujus
„ amicitiam omni honorum generi meritò an-
„ tepono, cujus ad nutum voluntatemque
„ totum me converto, cujus ad gloriam om-
„ nes vitæ & studiorum rationes confero:
„ PATRIA, cujus caussâ enixè omnia cu-
„ pio facioque: REGE, cui & utilem &
„ fidelem civem me probare studeo: BO-
„ NIS, quorum in animis bonam existima-
„ tionem tueri summa ope nitor. His place-
„ re vera laus & gloria est: horum amici-
„ tiam curæ cordique habere animi verè mag
„ ni esse arbitror, ut proinde male mecum
„ agas, vir nobilissime, si eapropter amare me
„ desinas, quod summum vitæ bonum hone-
„ state atque animi tranquillitate metior, quod
„ fortunæ potestatem mei non facio, quod
„ rei publicæ quam privatæ ambitioni servire
„ malo. Memento, multò gloriosius esse,
„ honore dignum judicari, quod virtutis est,
„ quàm potiri, quod inertissimo sæpe nebu-
„ lo-

„ loni cum præstantissimo viro est commune.
„ Deinde si de felicitate mea solicitus es, be-
„ nignissime Fautor, jam abunde ego felix
„ sum, qui neminem, cum quo me com-
„ mutatum velim, cognosco, qui bona mea
„ intelligo, qui omnium me fortunatissimum
„ esse certo & constanter credo. scilicet for-
„ tuna mea similis est togæ meæ quam ge-
„ stare soleo, nec curta nimis, quæ me ridi-
„ culum faciat, nec præpendens, quæ inces-
„ sum impediat, sed apta, sed concinna, sed
„ minime onerosa.

His auditis, Patronus pudore confusus obticuit, atque in veterem gratiam mecum rediit.

XXXI.

De Κυνισμῷ *Christiano*,

sive

Comparatio Pietistarum (*quos vocant*) & Cynicorum *veterum*.

FAmosa illa *Biblia Berlenburgensia* jam nuper in vulgus exierant turbasque dederant, cum ex Collegis meis unus, vir sanè & doctus & vere pius, suis plerisque hypomnematis diligenter pervolutatis μέγα hoc βι-

βιβλίον μέγα κακὸν judicabat, de mala fide & pœnitenda diligentia Auctorum apud me conquereretur, fortunam S. Scripturæ seriò dolens, quæ omnium librorum infelicissima ipsi eò videbatur, quod in foro Religionis & in qualibet Christianorum dissidentium causa hæc in quæstionem utrinque adducitur, hæc Sophistarum argutias sustinere cogitur, hæc testimonium veritatis perhibere jubetur, judice & disceptatrice Ratione Humanâ. Cui ego: rectè profecto doles, ô Amice. sacri Codicis auctoritate omnes Christianorum Sectæ placita sua promiscue tuentur & confirmant, sicuti quondam (si profana sacrosanctis componere fas est) ex *Homeri* ingenio & scriptis tanquam divino quodam fonte suas veteres Philosophi sententias derivabant: *Nam*, ut *Seneca* (*a*) ait, *modò Stoicum illum* (Homerum) *faciunt, virtutem solam probantem, & voluptates refugientem, & ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem: modò Epicureum, laudantem statum quietæ civitatis & inter convivia cantusque vitam exigentis: modò Peripateticum, bonorum tria genera inducentem: modò Academicum, incerta omnia dicentem.* Deinde quod ad *Berlenburgense* illud, de quo meministi, grande & παρερμηνείαις plenum volumen attinet, non diffiteor eò minus illud mihi probari, quod ego constanter eas Bibliorum editiones omnium præstantissimas diligentissime-

a. Epist. LXXXVIII.

que interpretatas censere soleo, quæ interpretatione carent, quæ nativum, ut ita dicam, colorem divinum habent, nullis pictorum luminibus atque umbris humanis illustratæ.

His dictis, Collega meus ad Auctores istos Berlenburgenses, quos Fanaticos & *Pietistas* appellabat, reversus, iterum dolebat, optima & emendatissima piissimorum virorum, *Speneri*, *Arndii* atque *Franckii*, exempla & præcepta a degeneribus quibusdam sectatoribus eâdem κακοζηλία hodie corrumpi, quâ discipuli improbi *Sadok* & *Baithos* probam magistri *Antigoni Sochæi* doctrinam depravasse feruntur, errorum Sadducæorum nequissimi conditores. Adhoc Idem mirari se fatebatur, sectam tam recentem tam brevi tantum incrementum cepisse, ut Pietismus jam per Academias, per Ecclesias, imo per Gynæcea & tuguria indies serpat, atque in mentes humanas irrepat.

Ad quæ ego: *Recentem Sectam*, inquis, *Pietismum?* Falleris, amice falleris: Antiquissima profecto est. Nam, ut de *Pharisæis* nunc nihil dicam, ipsa vetus Græcia Pietistas tibi dabit Philosophos *Cynicos*, nostris pleraque persimiles, si mores utriusque, si arrogantiam, decreta nonnulla æstimare atque contendere operæ pretium judicaveris. Scilicet primum, sicuti nostri animiæ & superstitiosæ pietatis professione *Pietistæ* dicuntur, sic *Cynici* a mordaci vitiorum insectatione appellationem traxisse nonnullis videntur. deinde, sicu-

ſicuti illi litterarum humaniorum, quas quaſi ad *Epicuri* voluntatem *navigatione quàm velociſſimâ fugiunt*, (*a*) faſtidioſi contemtores, ſolam Theologiam Myſticam & moralem colunt: ſic his ex ſententia *Diogenis* viſum fuit; τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν τόπον, καὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα περιαιρεῖν, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ (λόγῳ) *rationalem naturalemque Philoſophiam & liberales diſciplinas tollere, moralique ſoli* Philoſophiæ *incumbere*. (*b*) porro innoxiam illam artem *Muſicam*, quam ſapientiores ſemper in honore habuerunt, noſtri odio prorſus *Cynico* habent; de quo audias *Laërtium*: (*c*) Οἱ κυνικοὶ, περιαιροῦσι μουσικήν. ——— ὁ Διογένης πρὸς τὸν ἐπιδεικνύντα αὐτῷ μουσικὴν, ἔφη,

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ' οἶκος, ἐν ψαλμοῖσι καὶ τερετίσμασιν.

Cynici tollunt muſicam. —— *Diogenes ad quendam, qui muſicam oſtentabat, ait:*

Magnæ reguntur urbes nam prudentia:
At una cantu non queat regi domus.

Divitiarum inſuper, *honorum* & *nobilitatis* contemtum *Cynici*, perinde atque noſtri, præ ſe quondam ferebant: (*d*) Nihilo minus *Eu-*

a. Vid. Quintil. XII, 2. *b*. Laërt. Lib. VI, § 103. *c*. loc. cit. § 104. *d*. Ibid. § 105. conf. ſuid. in v. Κυνισμὸς p. m. 517.

bulo, Poëta comico, λάρυγγες καὶ ἀλλοτρίων κτεάνων παραδειπνίδες, *gulosi & alienarum facultatum parasiti* dicti, teste *Athenæô:* (*a*) atque recte quidem, si vitam *Menippi* Cynici spectes, quem *Laërtius* (*b*) φιλαργυρίας accusat, quemque *Hermippus* apud eundem refert, fuisse ἡμεροδανειστὴν, *diarium fœneratorem*, καὶ γὰρ ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν καὶ ἐξενεχυριάζειν, ὥστε πάμπλειστα χρήματα ἀθροίζειν, *namque nauticâ usurâ fœnerari solere*, *& pignori accipere*, *ut pecuniam grandem cogeret.* Quô quidem Philosophô dubites forte, an saniorem dicas nobilem alterum Cynicum *Cratetem*, quem eò religiosæ vesaniæ processisse proditum est, ut lautiorem patrimonii partem *ducenta talenta civibus suis dilargitus*, reliquam pecuniam, suasore *Diogene*, *in mare abjecerit.* (*c*) Quod ad *Frugalitatem* attinet, uterque in excessu, ut dici solet, peccant; quam in rem locus ille *Strabonis*, (*d*) subit: Ἐπεὶ καὶ οἱ φιλόσοφοι τῇ σωφροσύνῃ τὴν δικαιοσύνην ἐγγυτάτω τιθέντες, τὸ αὔταρκες καὶ τὸ λιτὸν ἐν τοῖς πρώτοις ἐζήλωσαν· ἀφ' οὗ καὶ πρὸς ἐκτρώσεις τινὰς αὐτῶν παρέωσαν ἐπὶ τὸν κυνισμόν· *quando Philosophi etiam temperantiæ justitiam proximo loco apponentes*, *vitam ex se aptam & frugalem inprimis affectaverunt* : *unde etiam quidam eorum cursum non tenentes rectum*, *in Cynicum vitæ genus exorbitaverunt.* Denique quod

a. Lib. III, cap. 29, p. 113. *b.* Lib. cit. §. 99. *c.* Laërt. lib. cit. §. 87. sq. *d.* Lib. VII, p. m. 455.

quod hodie fieri audimus, ut Pietiſtæ noſtri ſuperciliosſum de aliis judicium faciant, ut obvium quemque ad ſanctimoniam vitæ & morum cohortentur, ut in leviſſimis etiam ſæpe cauſis religionem interrogent: id vero jam a Cynicis illis factitatum itidem eſſe nemo humanior ignorat. Sic primum de triſti *Diogenis* ſupercilio apud *Laertium* (*a*) legas: Δεινός τε ἦν κατασοβαρεύσασθαι τῶν ἄλλων· καὶ τὴν μὲν Εὐκλείδου σχολὴν, ἔλεγε χολήν· τὴν δὲ Πλάτωνος διατριβὴν, κατατριβήν· —— *Acer item erat in aliis deſpiciendis. Unde & Euclidis* Scholam, (alludens ad nomen) bilem *appellabat*; *& Platonis* auditorium, conſumptionem. Sic deinde *libertatem*, *qua* Cynici *promiſcua uſi*, *obviôs quoſque monebant*, *Seneca* (*b*) perſtringit: quo referas ridiculum factum *Menedemi* Cynici apud *Laërtium*: (*c*) Οὗτος (καθά φησιν Ἱππόβοτος) εἰς τοσοῦτον τερατείας ἤλασεν, ὥστε ἐριννύος ἀναλαβὼν σχῆμα περιήει, λέγων ἐπίσκοπος ἀφῖχθαι ἐξ ᾅδου τῶν ἁμαρτανομένων, ὅπως πάλιν κατιὼν ταῦτα ἀπαγγέλοι τοῖς ἐκεῖ δαίμοσιν. —— *Hic (ut ait Hippobotus) in tantum prodigioſæ ſuperſtitionis venerat, ut ſumto furiæ habitu circumiret, dicens ſpeculatorem ſe ex inferno veniſſe iis, qui peccarent, ut deſcendens hæc ibi dæmonibus renuntiaret, quæ vidiſſet. &c.* Sic denique lepida eſt religio *Metroclis* Cynici, quem idem (*d*) uſque

a. Lib. cit. §. 24. ſq. *b.* Epiſt. XXIX. *c.* Lib. cit. §. 102. *d.* Ibid. §. 94.

usque adeo corruptum fatetur, ὥστε ποτὲ μελετῶν καὶ μεταξύ πως ἀποπαρδὼν, ὑπ' ἀθυμίας οἴκοι κατάκλειστος ἦν, ἀποκαρτερεῖν βουλόμενος, *ut, cum aliquando inter recitandum crepitum ventris emitteret, præ dolore animi domi se incluserit, tanquam per inediam e vita excessurus.* Longum foret, singula Comparationis momenta exsequi. Hoc unum satis est dixisse, si superbia Κυνισμὸς dici queat, jam nullum Philosophorum veterum ordinem *Cynicô* illo κυνικώτερον fuisse, cujus rei ut innumera alia testimonia transeam, testem habe *Tertullianum : (a) ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis tores alia superbia deculcat.* Adde, quod *Suetonius* in vita *Vespasiani* filii (*b*) tradit: *Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi, post dominationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit, Canem appellare.*

His auditis Collega meus exclamat, se non aliter utrumque hoc hominum genus intueri, quam *medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena*, sicuti pulchrè *Senecam* locutum *Lactantius* (*c*) testatur. Ego vero orationem meam minimè de utilibus Pietatis magistris, quos ego si quis unquam omni amoris & honoris genere ex animo prosequor, sed de futilibus & fanaticis, quos maximopere

a. Apologet. cap. 46, p. m. 40. b. Cap. 13.
c. III, 15, 11.

pere fugio, accipi oportere etiam atque etiam monebam.

XXXII.

De Præputiis doctorum circumcidendis.

SEdentes nuper in familiari convivio ego & complures amici, ſermonem de principibus in Rep. Litteraria viris agitabamus, cum unus ex nobis, litterarum percupidus homo, nihil magis mirari ſe fateretur, quam in tam vaſto orbe erudito tam paucos verè eruditos ab omni memoria inveniri, ut longè plures paſſim in arte ſua clari & periti artifices, pictores, ſculptores, &c. quàm illuſtres & abſolute docti bonarum artium Profeſſores numerentur.

Ad hunc ego converſus, Memento, inquam, V. C. meliorem otii & vitæ noſtræ partem in iis ſæpe ingenii exercitationibus conteri, quæ juvant magis quam proſunt; ut non ſtudere, ſed litteratis quibusdam quaſi latrunculis, teſſeris aut talis vitam pueriliter ludere videamur. *In ſupervacuis*, quod *Seneca* (*a*) ait, *ſubtilitas teritur. — Paucis opus eſt ad mentem bonam litteris. Quemadmodum omnium rerum, ſic litterarum quoque intemperantia laboramus: non vitæ, ſed ſcholæ diſ-*

a. Epiſt. CVI.

discimus. Circumcide, obsecro te, Doctorum Præputia, & jam plures viros, pauciores eunuchos studiosos ætas nostra tibi dabit.

Ad hæc ridentibus cunctis, qui aderant, ego jam serius honestæ meæ cavillationis interpres, in hunc modum pergo: Tolle, inquam, mirificas doctorum præstigias: Tolle, quicquid in disciplinis nimium est: Tolle varia pleraque juventutis tam Scholasticæ quam Academicæ impedimenta. Quibus sublatis, ego cultiora seculi nostri ingenia, & quò liberius onere, eò expeditius iter ad sinceram eruditionem præstabo. Ordire, quæso te, a THEOLOGIA, eamque infinitis quæstionum nebulis, mysticis plerisque interpretamentis, Scholasticis sophistarum argutiis libera: deinde umbratilem Christianorum λογομαχόντων lasciviam compesce, eorumque impetum in Judæorum θεομαχόντων Synagogam converte, cum exhortatione illa *Poëtæ* (*a*) ad Theologum nostrum conversa;

Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum.

denique effice, ut noctes illæ atque dies, quæ in Controversiis, quæ in systematibus, quæ in Commentariis atque Postillis vel scriptitandis vel lectitandis misere sæpe pereunt, multo utilius tum Linguæ Sanctæ, tum diligentiori Rabbinorum veterum lectioni, at-

que

a. Juvenal. Sat. XIV, ℣. 195.

que Philologiæ Sacræ vindicentur. Quô pactô, ut mea quidem fert opinio, res theologica multò majore & gratiâ & auctoritate & gloria florebit. Deinde in PHILOSOPHIA, quemadmodum *Menippus* apud *Lucianum* (*a*) prægrandem trium minarum barbam Philosophi & hirsuta supercilia, ne cymbam Charontis deprimerent, ferrâ secari suadebat: sic tu Philosophorum auctoritatem eò usque amputa, ut nemo philosophantium se aut *Aristoteli*, aut *Cartesio*, quorum dicta innumeris quæstionibus enucleanda sint, dedat, sed, quod Clarissimus Italorum *Jac. Facciolatus* (*b*) sapienter monet, Historiam Philosophicam addiscere, hoc est, quid *Aristoteles*, quid *Cartesius*, quid philosophorum ceteri docuerint, scire satis habeat. Coërce lasciva illa Philosophiæ præputia, *Logica* & *Metaphysica*: Coërce, inquam, aut, si mavis, exscinde; sicuti gloriosissimus Suecorum Rex, *Gustavus Adolphus*, publicô edictô omne Metaphysicæ studium, libros omnes Metaphysicos, ex regni sui finibus exterminavit. (*c*) Tolle *Philosophorum Otium*, ut veteres (*d*) vocârunt, ex quo nihil utile ad Rempublicam redundat; quæ causa quondam fuit, quamobrem Philosophi Roma atque Italia ejecti a

 Con-

a In Dialogo Χάρωνος καὶ Ἑρμοῦ &c. p. m. 142.
b. In Orat. IV. ad Philosophiam pag. 65. sq. *c*. Vid. Lomejer. de Biblioth. cap. IX. pag. 187. *d*. Vid. Gell. VII, 3.

Consulibus (*a*) & *Domitiano* (*b*) fuerint. Fac *Philosophia Naturalis* atque *Moralis* , quæ & emolumentum & ornamentum Societati humanæ affert, diligentius in Scholis & Academiis colatur. Quô factô , non est quod dubites, rem Philosophicam multò melius æquabiliusque se habituram. In PHILOLOGIA per varios Scriptores erratur. Hic *Muretum*, ille *Lipsium*, alius alium sequitur. Tu hos de manibus φιλολογούντων excute, tanquam *Apocryphos*, uti me vocare in *Cogitationibus* (*c*) memini: commenda *Canonicos* veteres, qui non modò loquendi leges nobis tradidere, sed etiam præstantiorem doctrinarum proventum reliquerê : commenda cum primis ex Græcis *Platonem*, *Aristotelem*, *Plutarchum* & *Diogenem Laërtium*: ex Latinis *Ciceronem*, *Quintilianum*, *Gellium* & *Plinium* utrumque. Atque vero quum studiosum unumquemque in suo disciplinæ genere Philologum esse oportet, (nam Latinè loquenti aut scribenti rem non suo vocabulo demonstrare non minus turpe est, quam hominem non suo nomine appellare) commenda Theologo *Lactantium*, JCto *Tullium* & *Ulpianum*, Medico *Celsum*, Historico *Livium* aut *Suetonium*, emendatissimos verborum, rerum & memoriarum veterum magistros. Denique hortare Philologum, ut turpe sibi ducat, quod semi-

a. Gell. XV, 11. & Ælian. IX, 12. Histor. Var.
b. Gell. ibid. *c*. pag. 162.

ſemidocti grammatici eſt, anxiè & ſuperſtitioſè de re exili grammatica quærere, bellum pro verbo, quodam tanquam pro aris & focis ſuſcipere, bonas denique chartas convitiis & injuriis onerare. Quod reliquum eſt, quum ſalubria clariſſimorum virorum *Clerici*, *Morhofii* aliorumque ad gloriosam doctrinam conducentia conſilia haud deſunt, tu, quantum bonas litteras diligis, tantum fac, ut harum ſtudioſi exinde meliores fieri ſtudeant; tum enim non deerunt doctiores: tum non erit, quod cum *Cebete* (*a*) quæras, ἡ ψευδοπαιδεία ποία ἐςίν; tum non erunt, quæ circumcidi oportebit, doctorum præputia.

XXXIII.

De Præſtantia Sapientiæ Popularis.

Litteratas quasdam fabulas, præſente Mercatore litterarum experte, ego & ſacerdotes nonnulli patriô ſermone habueramus, quæſieramusque, quo factum ſit, ut *dies omnium animarum* (quo Romano-Catholici defunctis juſta anniverſaria faciunt) in Kalendario noſtro proximè Kalendas Novembres ſive *Feſtum omnium Sanctorum* ſequatur? item, quo primum tempore, quo auctore (*Petro Eremita*, circa A. C. MXC) Pontificius ille pre-

a. Tabul. Cap. X, p. m. 75.

precandi mos per calculos, quos vulgus *Paternoſtros* appellat, cœperit? denique, ecquisnam Pontificum Romanorum (*Innocentius* IV, qui circa A. C. MCCXLIV ad ſedem Apoſtolicam acceſſit) dignitatem *Cardinalium*, qui primarii antè Presbyteri fuerant, in tantum faſtigium evexerit, ut equo deinceps inſidentes rubro galero uterentur? Hæc, inquam, & pleraque alia familiariter diſſerueramus, quum Mercator noſter, homo pius, probus, beneficus, digreſſis ceteris, jam ſe ſui pœnitere faſſus, miſerum, ineptum, barbarum ſemihominem ſe, quia litteras neſciebat, exclamaret, nullumque genus mortalium cum ordine litteratorum de gradu felicitatis contendere poſſe prædicaret. Qua voce auditâ, ego blandè & comiter: Patere, inquam, patere te ipſum, amabo: næ erras, qui nimium felicitati noſtræ tribuis: næ præſtantior fortunatiorque eſt, crede mihi, *Sapientia Popularis*, quam aurea tranquillitas animi ſequitur, quam vana immortalis memoriæ cupido non infeſtas, quam maligna poſteritas illaceſſitam poſt funus relinquit.

Diſplicebat mercatori hæc admonitio, cui ut fidem aliquam facerem, fabulam hanc haud profectò illepidam ex *Luciano* (*a*) narrabam. „ *Menippus* quidam, Philoſophus, quam diu „ deliberaſſet, quasnam potiſſimum vitæ & ſtu„ diorum rationes ſequeretur, inter multipli-

„ ces

a. In Dialogo Menippi & Philonides pag. m. 222 ſq.

„ ces Philoſophorum opiniones incertus at-
„ que errabundus, hujusmodi conſilium ca-
„ pit. Babylonem proficiſcitur, magorum
„ aliquem ex *Zoroaſtri* diſcipulis & ſucceſſo-
„ ribus conventurus. Acceperat enim, hos
„ carminibus quibusdam ac myſteriis portas
„ inferni aperire, &c, quem libitum cunque
„ foret, illuc tutò deducere, atque indidem
„ reducere. Optime autem facturum ſe pu-
„ tabat, ſi, pactione de deſcenſu cum quo-
„ quam horum factâ, *Tireſiam*, ſapientiſſi-
„ mum illum Boeotium apud inferos, quæ
„ vita ſit optima & ſapienti eligenda, conſu-
„ leret. Quid fit? ducem nactus *Mithrobar-*
„ *zanem* magum, ad inferorum ſedes defertur,
„ videt pœnas defunctorum, audit quæſtio-
„ nes & judicia *Rhadamanthi*, *Tireſiam* adit,
„ orans, ut emendatiſſimum vitæ genus ſe
„ doceat. Cui cæcus ille ſenex: ô *Menippe*
„ fili, inquit, non equidem neſcio, cauſam
„ erroris & dubitationis tuæ eſſe levitatem
„ Philoſophorum, de iisdem rebus haud qua-
„ quam idem ſentientium: Tu vero ſic habe,
„ *Optimam omniumque ſapientiſſimam eſſe vi-*
„ *tam idiotarum. Quapropter ludicris ſubtili-*
„ *tatibus neglectui habitis, hoc unum tota vita*
„ *age, ut jucundam & tranquillam vitam agas,*
„ *ridens, nulla de re ſollicitus minimè curio-*
„ *ſus.*"

Quæ fabula cum Mercatori meo mirificè quidem placeret, perſuadere tamen, ut felicitatem ſapientiæ Litteratorum extollere deſi-

neret,

neret, nequaquam posset, tum ego pro sapientia Populari sic verba facere me memini. Non dubito, inquam, perelegantem *Petri* nostri *Septimii* Libellum, qui Proverbia Danica complectitur, tibi cognitum esse. In hoc Auctor sub Titulo, *Læra*, (*Doctus*) vetus illud dictum refert: *Christus leed aldrig meer, end af de Lærde:* (Latinè, *Christus a nemine quoquam graviora passus est quam a doctis*) Dictum profecto verissimum! Ceterum, ut per disciplinas altiores doctorum eam, ego multò beatiorem THEOLOGUM Te prædico, qui in rebus divinis nihil fere supra vulgus cathecumenon sapis, qui pias precum & hymnorum formulas pro Disputationibus Academicis castâ mente lectitas, veritati cœlesti securè credulus, & de reliquo (nihil adulor) bonus Christianus: Te, inquam, multò beatiorem prædico, quàm ambitiosum aliquem sacrorum oraculorum Professorem, qui, ut populum Academicum atque civilem opinione quadam doctrinæ suæ imbuat, novas quæstiones, controversias atque præstigias venditat, in auditorio adversus dissentientes ad ravim usque ferociter vociferatur, mysteria divina, tanquam sibi, tanquam sibi soli, tanquam sibi soli planissimè, cognita atque explorata tractat, implacabilis, si vel levissime offensus fuerit, nunquam fere bonus, nisi in Cathedra, imo ne tum quidem quoniam sicuti vestem, sic sententiam habet, aliam domesticam, aliam Cathedrariam. Atque

que vero ut præter opinionem intelligas, quantò major vis sit in pia simplicitate ad persuadendum, quàm in doctrina atque eloquentia, audi, quæso, historiam, nemini Paulo doctiori, ignotam quam veteres Ecclesiæ Patres scriptam in hunc modum reliquerunt.
„ Confluxerat ad Concilium Nicæum, magna hominum multitudo. Inter eos erat etiam Philosophus quidam, ut sibi videbatur, argutus: hic contra religionem Christianam ex Philosophicis Principiis in cœtu multorum hominum disputabat cum nonnullis Episcopis (extra Synodum) neque compesci ab illis poterat, quia dum Philosophicè cun Philosopho disputabant, semper ille rimas, per quas elaberetur, inveniebat. Accedit igitur Confessor Christi quidam, admodum senex & simplex, qui dialecticarum argutiarum nihil prorsus sciebat, nihilo minus tamen cum Philosopho illo disputare haud dubitans. Hic novo disputandi genere Sophistam aggressus, ait, *In nomine JESU CHRISTI audi Philosophe, quæ vera sunt:* & mox summâ symboli Apostolici recitatâ, Philosophum percontatur, *Credis ista, Philosophe?* ad quæ Philosophus, *Credo:* atque ita victum se ab illo sene confessus, reliquos suæ professionis homines hortatus est, ut & ipsi sacra Christiana amplecterentur. Quô factô, interrogatus Philosophus, cur ab Episcopis convinci non potuisset, res-

„ pon-

„ pondit, *dum illi verbis mecum egerunt, verba verbis oppoſui: ſed ex hujus ſenis ore egreſſa eſt virtus, cui ego reſiſtere non potui.*" Sic nimirum DEUS *ore innocentium effari* ſolet, quod de Apoſtolo *Paulo Seneca* noſter ad *Neronem* dixiſſe fertur. Sic placuit DEO *per ſtultam prædicationem ſervare credentes*, — ut ait idem *Apoſtolus* I. ad Corinthios I, 21. ſq. Deinde admiraris PHILOSOPHIAM? Ego profecto multo præſtantiorem Philoſophum Te laudo, qui ſummum bonum civile in honeſtate ponis, qui ſapientiam DEI in providentia, providentiam in ſapientia colis: quàm ſtolidum illum naturæ ſpeculatorem, qui hanc tanquam numen colit, qui ludicris ſubtilitatibus, *numeris*, *Ideis*, *captionibus*, delectatur, nemini utilis, ſibi moleſtus, aliis obſcurus. Cogita, quæſo, quid tua interſit ſcire, *quando moriens moriatur? quum jam in morte ſit, an tum etiam quum in vita ſit?* item, *quando ſurgens ſurgat? quum jam ſtet, an tum etiam quum ſedeat?* Tene riſum, ſeu potius ede. (*a*) Si JURIS *ſcientiam* ſpectes, Tu unus mihi pluris es quàm centum *Protagoræ*. Scilicet hi eloquentia & arte ſua tanquam ferro non tam ad tutelam, quàm ad perniciem utuntur: hi in modo, quem Grammatici *infinitivum* vocant, me *Li-ti-ga-re* docent: Tu contra eò præſtabilior JCtus es, quò diligentius provides, ne injuriam laceſſas, ne litem ſuſcipias, ne aut Juſtiniani auctoritas

a. Gell. VI, 13.

tas perfugium tibi præbeat, aut damnosa rabulæ lingua rem tuam abliguriat. Malo profecto indisertam prudentiam, quàm præstigiosam dicendi peritiam: malo virum pacatum aut pacificatorem, quam arbitrum aut Rhetorem, in *ludo impudentiæ*, ut veteres vocarunt, (*a*) edoctum. MEDICO non est quod invideas, præter successum. Medici nos universi, sicuti quondam *Ægyptii*, (*b*) sumus. Ad hoc veteres scriptores *Medicinam* in artium servilium, minimè liberalium numerum retulerunt. Quid multa? si Græca intelligeres, Vir honestissime, jam vilius quam pro tua existimatione pretium doctorum esse unus te doceret scriptor, qui *Sextus Empiricus* vocatur, in Libris, quos adversus *Grammaticos*, *Rhetores*, *Geometras*, *Astrologos*, *Logicos*, *Physicos*, aliosque id genus Professores conscripsit. Cave tamen credas, artes ipsas in exiguo apud me honore esse, quia unum alterumve artificum parvi facio. Ego profecto non exstinctam cupio Philosophiam, non perditam Eloquentiam, non sublatos Rhetores, non Jureconsultos aut relegatos aut necatos, quod fatum eorum sub Imperatore quodam *Maximiano* (*c*) fuit: DEUS meliorem mentem mihi! Non sanè is sum, qui profani vulgi imperitiam honestæ & ingenuæ eruditioni præferam: nihil minus! Atqui quum *Præstantiam sapientiæ Popularis* commendo tum vero doctis inconstantiam suam

a. Vid. Tacit. de Oratore c. 35. *b*. Laërt. in vita Platonis. L. III, § 7. pag. m. 168. *c*. Lactant. de de Mort. Persecut. cap. 22.

& discordiam ambitiosam tacitè opprobro, quos cum audio, tum dormientium instar capite modò annuo, modò renuo, mente circa inanes quasdam aut deformes rerum verborumve imagines otiose occupatâ. Ad hæc doctis plerisque nequitiam, quæ ipsis cum profesta & infima plebe communis est, oblique tum vitio verto, quibus omnibus, si in unum conferantur, te unum, Amice, te, recti exempli hominem, te, verè utilem patriæ civem, multo cum honore præpono. Malo enim rude æs aut infectum, sed purum putum argentum, quam aurum adulterinum, affabre cælatum, litterisque quàm maxime nitidis exornatum. Odi hominem, qui studet, nisi hunc fructum ex studiis capere studeat, ut, quantum artes liberales sordidis & sellulariis antistant, tantum, modestia, verecundiâ, honestate, remigi, militi, coquo, rhedario antistet. Hæc anima est doctrinæ, hoc verè magnificum insigne hominis docti, non titulus, non pileus aut annulus Academicus, non toga. Tu interea macte esto virtute tua, quam & natura & sapientia suadent, approbant, collaudant: Tu perge te ipsum imitari, mihique id crede, aliis tibi præceptis Philosophorum ad vitam beatam neutiquam opus esse: Tu veterem constantiam in honesta liberalitate erga pauperes, in amabili fide erga amicos, in suavissimo DEI atque Proximi amore serva: & jam vivus quidam Commentarius mihi eris, jam Bibliotheca mihi eris, cunctis supellectilis meæ librariæ voluminibus carior mihi atque antiquior.

CHRI-

CHRISTIANI FALSTERI

ADMONITIONES

AD

INTERPRETES A. GELLII.

CUM

EPISTOLA

AD

VIRUM CLARISSIMUM,

JOANNEM GOTTLIEB KRAUSE,

Celeberrimum in Academia Wittembergensi *Histor. Professorem, Amicum benevolentissimum.*

CLARISSIMO SUO

JOANNI GOTTLIEB KRAUSE

S. P. D.

CHRISTIANUS FALSTERUS.



Uum lucubrationibus meis GELLIANIS eum honorem iterum ac sæpius in *Novis* Tuis *Litterariis* habuisti, VIR CELEBERRIME, ut aliàs orbem Philologicum bona de iis spe impleveris, aliàs diem, quô in manus hominum veniant, perbenignè exoptaveris: æquum esse puto, aliquem hujus honoris fructum ad Te redundare, Tuòque Clarissimo nomini perexiguum hunc libellum cum summa Tuorum de me meritorum testificatione dari. Quem equidem ut emittam, non Tute modò tacitus suasor mihi fuisti,

ſed præcipuus auctor exactorque Ampliſſimus noſter & *ſpectabilis* JO. GRAMMIUS; qui, cum ſpiſſas & prædenſas meas *Noctes Ripenſes* quaſi communi bibliopolarum ſuffragiô ad æternas tenebras eſſe damnatas audiret, deſperaretque, affore unquam tempus, quô dies illis illuceſcat, peramanter pro amicitia noſtra abs me contendit, ut maturè, ne nocturni graſſatores furtum mihi quandoque faciant, providerem. Auctoritati adeò & conſiliis tanti viri non parere indecorum ratus, partem quandam hypomnematum meorum in A. GELLII *Noctes Atticas* ex pœnitendis Voluminibus meis in hanc, quam Tibi offero, V. C. tabulam tranſcripſi, non profecto pro immortalitate operis mei ſollicitus, (quaſi abſque hoc mundus foret mortalior) non furti timidus, (quid enim? abſtulerint mihi poſteri laboris pretium, duo tantum lintea, aut ſi quid vilius; abſtulerint: nihilo minus ſecurus dormio) ſed partim GELLII cupidus, partim Viri Nobiliſſimi DAN. WILH. TRILLERI memoriæ, ut

ut par eſt, ſtudioſus. Scilicet Clariſſimus hic Merſeburgenſium Hippocrates, pro eo, quo me & *Gellium* meum complectitur, amore, jam anno CIƆIƆCCXXII, d. XII Jun. *Obſervationes* ſuas & *Emendationes* in NOCTES ATTICAS mihi miſit, quas meô naufragiô perire nefas duco. Has, ceu pecuniam apud me depoſitam, eâ fide, quâ ab amico traditæ ſunt, reddo: has, quum Auctori ſuo honori eſſe videantur, in honore apud TE, Clariſſime KRAUSE, aliosque eruditos futuras non dubito. Quod ad meas attinet, aut fallor, aut majorem profecto gratiam apud TE quam apud me ipſum habituræ ſunt. Novi indulgentiam Tuam, Humaniſſime Fautor: expertus te jam diu ſum perbenevolum ingenii mei & operæ æſtimatorem. Quod equidem fortunæ munus gratô ſemper animô recordor, atque eò quidem magis, quod TU & TUI quondam *Lipſienſes* judicia nunquam niſi exoptatiſſima de me publicè faciendo, eam in animo meo ſtudiorum cupiditatem, quam Natura accenderat, quam Invidia domeſtica

exſtinguere ſæpius conata fuerat, quàm diligentiſſimè (utinam Reip. litterariæ bono!) aluiſtis. Ale porro & Vale. Dabam Ripis Cimbrorum Anno CIƆIƆCCXXXI poſtrid. Non. Jun.



A D.

ADMONITIONES
AD
INTERPRETES A. GELLII.

LIB. I. CAP. I.

Pag. 29. (edit. *Jac. Gronov.*)



LUTARCHUS *in libro, quem de Herculis quali inter homines fuerit animi corporisque ingenio & virtutibus conscripsit,*] Quum Latine hæc in textum ex glossemate irrepsisse nemo non facile videt, Græca ipsa *Plutarchi* verba, quæ ab ipso Gellio relicta, ab *H. Stephano* & præstantioribus plerisque editionibus antiquis tradita sunt, retineri suadeo.

CAP. II, p. 32.

Lavacris nitidis & abundis & collucentibus.] *Gronovius* ad hunc locum inspici *spicilegia Jani Melleri Palmerii* Cap. 2. jubet. Inspexi, (Tom. IV. Thesaur. Crit. Gruter. pag. 855.) & re paululum deliberata, mentem mutavi. Scilicet jam Anno 1721. in Novis Latinis Celeberrimi *Jo. Gottl. Krausii* palam suspicionem professus fueram, quam novum illud

 voca-

vocabulum, *abundus*, mihi moverat, ut proinde aliam quandam Lectionem excuderem, quæ meritò Viris Clarissimis, *Dan. Wilh. Trillero* (in suis ad me litteris) & *Adamo Henr. Lackmanno* (in Programmate Emendationibus meis Gellianis opposito) imo mihi ipsi postea prorsus displicuit. Quapropter facio, quod *Hippocratem*, quod *M. Tullium* fecisse *Quintilianus* III, 6. testatur, *errorem confiteor*, neque a recepta lectione discedo, tum quod Codices & editiones omnes hanc constanter servant, tum quod adverbium, *abunde*, nomen, *abundus*, tacitè confirmare videtur. Nihilo minus fidei meæ esse duco, referre, quæ laudatus *Trillerus* meus super loco *Gellii* cit. ad me scribit: „ Minori negotio & ma-
„ jore probabilitate ita legendum arbitror:
„ *lavacris nitidis & ab undis collucentibus*,
„ deletâ nempe posteriore copula ante *collu-*
„ *centibus*. Nunc sensus clarus & facilis.
„ Lavacra illa nitida erant ratione aut mar-
„ morum aut aliorum lævigatorum lapidum,
„ ex quibus lavacra apud Romanos æquè ac
„ Græcos construi solebant, ut ex *Vitruvio*,
„ *Seneca*, *Suetonio*, *Plinio* aliisque docuerunt
„ *Lipsius*, *Fabricius*, *Ciaconius* aliique. *Ab*
„ *undis* vero influentibus collucentia erant,
„ & splendorem in superficie de se sparge-
„ bant, ut quotidie observatur.

Ibid.

Ibid.

Totiusque villæ venustate aquis undique canoris atque avibus personante.] *Lipsius* Lib. II. Elect. c. 19. ita distinguit, — *aquis undique, canoris atque* —. *Gronovius* mavult, *auris undique* c. a. a. p. quia, inquit, satis prædicavit Gellius lavacra. Egò nihil mutandum censeo, memor, quod de eadem villa Noster repetit L. XVIII; c. 10. *In Herodis* V. C. *villam — aquis & lucis & nemoribus frequentem, æstu anni medio concesseram.*

CAP. III, p. 41.

Ἀλλὰ μέχρι θεῶν.] *Trillero* meo certius, si quid modo mutandum, legendum videtur, μέχρι θυῶν s. θύων, h. e. usque ad *sacrificia* aut *victimas*, sensu cum τῷ βωμῶν (quod aliis placet) eodem recidente.

Ibid. p. 44.

Quoniam profecto causas scientiæ, corporum varietates, disceptationumque differentiam ignorantes, ——] Alii aliter obscurum hunc locum legunt, nemo ante *Gronovium* interpretandum suscepit. Ego sic emendo: *quoniam profecto circumstantiæ, temporum varietates, disceptationem atque differentiam importantes*, - - - vide, quæ loc. cit. mox præcedunt.

Ibid.

Ibid. p. 45.

Καὶ συνεπάγεσθαι φιλίας καὶ ἀπεχθείας.] Ad quæ *Trillerus* meus: Variè, inquit, hæc verba leguntur in Codd. M.SS. Vett. *Jacobus Gronovius* in uno offendit ΣΥΝΕΝΠΛΕΚΕΣΤΑΙ, unde bene legit idem συνεμπλέκεσθαι, sensu perspicuo. At *Salmasius* in Reg. Cod. Gall. scriptum vidit, ΣΥΝΕΠΑΣΚΕΣΤΑΙ, unde ego prono in emendationem litterarum ductu, legerim, συνεπασκεῖσθαι, ita ut sensus sit, amicitias inimicitias excipere & mutuo inter se agitari & exerceri. Posset & pro recepto, συνεπάγεσθαι, admodum concinnè legi συνεμπήγνυσθαι, h. e. combinari, conjungi, uniri. Quod autem Gronov. pater συνεπάγεσθαι φιλίαις ἀπεχθείας legit, frustra fecit & sine ulla necessitate.

CAP. V. p. 48.

Quin parum vir, & ore quoque polluto diceretur Demosthenes.] Intactum hunc locum interpretes reliquerunt, pudori & honestati procul dubio obsecuti. Castum interim auctorem ad *Rigaltii* notas in Phædri Fab. L. IV, Fab. 13. p. 450. delegamus, item ad *Lampridium* in vita Commodi Cap. 5. *Ipsas concubinas suas sub oculis suis stuprari jubebat. Nec irruentium in se juvenum carebat infamia, omni parte corporis, atque ore in sexum utrumque pollutus:* nec non ad *Suetonium* de Ill. Gr. c. 23, *Maximè flagrabat Remmius Palæmon libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris.*

Quem

Quem locum *Achilles Statius* non intellexisse videtur, quum legere jubet, *usque ad infamiam orationis*.

CAP. VI, p. 52.

Si quid in mala causa destitutum atque impugnatum relinquat rhetor.] Malim *impropugnatum*, sicuti parili sensu *improtectum*. Noster dixit VII. 3. *Sed enim Cato non nudam neque solitariam nec improtectam hanc epagogen facit*, - - - Taceo de *Jacobo Frid. Reimmanno*, qui in *Historia Vocabulorum L. Latinæ* pag. 60. *impugnatum* l. c. pro *impugnabili* accipit, sive pro eo, quod oppugnari possit. Taceo de *Gronovio*, qui ex Regio Codice legi jubet, *destitutum atque inpurgatum*. Audiat per me utrumque qui volet.

Ibid. p. 53.

Di immortales virtutem approbare, non adhibere debent. Miror horum verborum, quæ mihi profecto perobscura videntur, emendationem nemini interpretum in mentem venisse. Jam olim per *Krausium* meum publicè professus sum, pro *adhibere* legendum videri *abolere:* quandoquidem virtus, solutis pœnæ & præmii divinis legibus aboletur. Sed eruditis magis forte placebit *Trilleri* mei hæc conjectura: „ Elegans est sub finem Cap. VI. „ *Metelli* locus, sed mendis inquinatus, unde

„ de. difficilis admodum intellectu: quid e-
„ nim hæc: *dii immortales virtutem approba-*
„ *re, non adhibere debent?* Putavi quidem,
„ ita intelligendum esse, quod, quum dii es-
„ sent αὐτοκράτορες, & absoluto in homines
„ imperio uterentur, a nobis quidem virtu-
„ tem exigere possent, etiamsi ipsi eam non
„ adhiberent. Sed re melius perspectâ nec
„ hoc mihi placere potuit. Legendum ergo
„ hunc in modum: *His demum Deos propi-*
„ *tios esse æquum est. Qui sibi adversarii non*
„ *sunt, ii mortales virtutem approbare, non*
„ *odio habere debent.* Sensus nunc perspicuus.
„ Punctum primô posui post, *æquum est*;
„ ita ut hic nova sententia inchoet; secundo
„ ex *di immortales* facili mutatione, *ii mor-*
„ *tales*, feci; ingrata enim mihi videtur to-
„ ties repetita vox, *dii immortales*; & de-
„ mum pro *adhibere*; quod nihili valet,
„ *odio habere* substitui, quod verbum τῷ
„ antecedenti *approbare*, justè opponitur."
Hactenus eruditissimus *Trillerus*. Taceo de *Lackmanno*, qui aut Gellium pro *adhibere* scripsisse *cobibere*, aut nulla textum manu medica indigere putat, conjectura meâ non modò non contentus, sed etiam, uti videtur, valde offensus.

CAP. VII, p. 58.

- - - *sonus clauderet.*] Alii malunt vulgatum *clauderetur*. Hi vero meminerint, *clau-*

dere

dere pro *claudicare* sæpius Nostro in usu esse. ex. gr. Lib. IV, c. 7. *In quo versu, nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexa ponatur, numerus clausurus est*. item XIII, 20. *Ut si aliter dixeris mutaverisque, & aliquid tamen auris habeas, sentias suavitatem sonitus claudere*. Quæ loca Auctoris si Clarissimo *Castalioni* cognita fuissent, jam procul dubio *Lipsium* lacessere desiisset.

CAP. XIII, p. 80.

Si rationes dumtaxat hujuscemodi non adessent.] Ita omnes libri habent. Quis vero non videt, legendum esse, *abessent*, ut sensus constet?

CAP. XV, p. 85.

Verbis humidis & lapsantibus diffluunt,] alii leg. *uvidis*. Mihi quondam in mentem venire memini, *tumidis*, i. e. vanis; sicuti *tumidum & vanum* conjungit *Tacitus* Histor. II, 30, 4. sed nihil muto, propter Græcum illud *Theophrasti* Charact. Cap. VIII. de homine loquaci, ὡς ἐν ὑγρῷ ἐστιν ἡ γλῶττα, *lingua est tanquam in udo*.

CAP. XVII, p. 95.

Has ejus intemperies in maritum - -] Jam in *Novis Litterariis* Celeb. *Kraufii* mei levem hanc

hanc mutationem, *intemperias*, in medium attuleram, cum Clarissimus Uthinensium *Lackmannus* paulo inclementius eam exciperet, usque adeo, ut jurare non dubitaret, Gellium voce *intemperies* utentem eumdem in animo habuisse significatum, quem quidem lectio *intemperias* involvit. Sed desine jurare, Vir Clarissime. Certissima est, quam proposui, lectio. audi, quæso, *Nonium Marcellum* Cap. VIII, num. 78. „ *Intemperia* pro *Intemperantia* apud veterem auctoritatis obscuræ: *Has ejus intemperias in maritum.*" Vides ipsum, quem agitamus, *Gellii* locum, ipsa verba. Neque enim, ut opinor, dubitas, per *veterem auctoritatis obscuræ* passim a *Nonio* indicari *Gellium*, quod nemo humanus ignorat.

CAP. XXII, p. 113.

Sed nescio quid aliud indictum inscitumque dicit:] *Gellius* scripsisse mihi videtur *indoctum inscitumque*, sicuti idem adverbia *indoctè & inscitè* conjungit Lib. XIX, Cap. 8. Clar. *Lackmannus*, conjecturæ meæ æmulus, *indictum*, si per *non dictum* explicatur, bene sibi constare asseverat: quam interpretationem, menti Auctoris manifestè repugnantem, quô pactô tueatur, ipse viderit. *Trillerus* meus *indictum* accipit de re nullius pretii, quod Græcis dicitur λόγου οὐκ ἄξιον; quâ auctoritate, me nescire ingenuè fateor.

CAP.

CAP. XXVI, p. 124.

Neque omnino trepido ira & gestio.] Ubi *Gronovius* verbum *gestio* exponit, *gestu iracundiam ostento*, rectius, meâ quidem sententiâ, *lætitiam*; more plagosi istius *Rutili* apud *Juvenalem* Sat. XIV, vs. 18. sqq.

- - - - qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, & nullam sirena flagellis
Comparat, - - - -

Conf. L. V. Noct. Att. Cap. I.

* * *

LIB. II. CAP. III.

p. 131.

Fidum Opitatum] alii *fidum opinatumque*. Sed repetere h. l. nolo, quod jam ante de hoc Grammatico disserui in *Memoriis Obscuris* Part II, pag. 147.

CAP. VI, p. 136.

Nemo quisquam tam efflictis est moribus,] Antiquissima editio Veneta A. 1472. atque huic proximæ habent, *efferis*, quod interpretes dissimulare non oportuit. *Trillerus* meus non dubitat legi posse, *efferatis*, sed demum

non dubitat legere *afflictis*; quicum & ego sentio, adductus auctoritate *Macrobii* Lib. VI, Sat. Cap. 7. cujus præstantiores Codices antiqui habent, *nemo tam afflictis est moribus.*

Ibid. p. 139.

Quicquid igitur nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat,] Suspectum mihi quondam visum est illud *inculcatum*, uti jam per *Krausium* meum monui. *Trillerus* super hoc vocabulo in hunc modum ad me scribit. „ Ab„ surdissima est *Gronovii* explicatio: *inculca*„ *tum*, inquit, *quasi calcando impressum.* „ Mendum hic subesse nemo paulo emunctio„ ris naris non subolet. Legi igitur acutis„ simè posset tuum, *incrustatum*, sensu qui„ dem optimo, nisi paullo longius deflecte„ ret a prisca scriptione. Certius igitur me„ cum in posterum legatur, *incalcatum*, aut „ *incalcecatum*, h. e. calce & opere parietario „ aut albario obductum, quô nihil ad hunc „ locum fingi potest aut aptius aut verius.--" Sed fallimur uterque, mi *Trillere*, fallimur. retinendum est receptum Gellii, *inculcatum*, uti postmodo me docuit *Servius*, qui exscriptum Auctoris locum, quanquam dissimulatô hujus nomine, sic pariter refert ad *Virgilii* Æneid. X, 314. p. m. 1036. edit. Masvic. *Quidquid igitur inculcatum obsitumque aliqua re erat*, - - -

CAP.

CAP. VII, p. 139.

Omnia, quæ pater imperat, parendum.] Id est, *ad omnia*, ficuti *Frontinum* loqui Lib. I. Strateg. Cap. XI, exempl. 13. observavi; *Ut barbari ad omnia tanquam divinitus imperata obedirent.*

CAP. XII, p. 149.

Non alterutra parte sese adjunxerit,] lege *alterutræ parti*, quod prorsus Gellianum est, & alibi a me vindicatum.

CAP. XVII, p. 158.

Fœnoribus coopertus,] lege *Facinoribus*, quod jam alio in loco monui.

CAP. XXIII, p. 177.

Nihil dicam ego, quantum differat versus utriusque eximi jussi, & aliis ad judicium faciendum exponi.] Sic edidit *Gronovius* uterque. Ego juxtà cum Clarissimo *H. Stephano* & antiquioribus quibusdam melioris notæ editionibus vulgatam hanc lectionem retineo: *Nih. dic. eg. qu. diff. vers. utr. eximius: sit satis aliis ad jud. fac. exp.* nisi forte suspiceris, a Gellio pro, *eximius*, - - - relictum fuisse, *ecce mihi sit satis* - - - sicuti Auctor L. X, Cap. 24, p. 507. *venit ecce*, inquit, *illius versus* - - .

P 2 Ibid.

Ibid. p. 178.

Quis vestrarum fuit - -] Sic *Gronovius* in versu Cæcilii Codd. Reg. & Rot. secutus legit, pro veteri, *Quæ vostrum* - - -. nec repugno; memor, Latinos veteres τὸ *Quis* etiam feminino genere dixisse, sicuti Græci τὶς quod *Pareus* in Lexico Critico p. 1045. aliique complures monuerunt; quò accedit illud *Ulpiani* Digest. L. L, Tit. XVI, leg. 1. p. m. 775, *Verbum hoc*, si quis, *tam masculos quam feminas complectitur.*

Ibid. p. 179.

SE. *Sed tua morosane uxor quæso est?* MA. *Quam? rogas?*] Pro *Quam? rogas?* suspicor *Cæcilium* scripsisse, *Quin morosa'st*; video enim, codicum MSS. veterum alios habere, *Quam erogas*, alios, *Quam me rogas*, nullô ferè sensu.

Ibid. p. 181.

'Αλλ' ἐν ἀκαλύπτῳ - - -] Quam lectionem in versu Menandri *Trillerus* meus ex *Stobæo* & *Dione Chrysostomo* Orat. XXXII, p. 365. confirmat, ratamque arbitratur.

CAP. XXIV, p. 183.

Qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter sese dominia agitarent,]

rent,] Alii legunt *convivia*, pro, *dominia*. Ego vero hanc lectionem retineo, neque Lexico Fabro-Cellariano obſervatam, nec ab interpretibus Gellii rectè vindicatam. Nam ſicut *convivii exhibitor* appellatur *dominus*, ſic & *convivia* antiquitus *dominia* dicta ſunt, teſte *Nonio* Cap. IV, n. 125. qui teſtimonium inſuper *Lucillii* affert ex Libro Satyrarum XIII, *Primum dominia atque ſodalitia omnia tolluntur.* De verbo, *mutitare*, non eſt quod Critici diſputent, immemores forte, idem a Noſtro repeti Lib. XVIII, Cap. 2 *Quam ob cauſam patricii Megalenſibus mutitare ſoliti ſint, plebs Cerealibus?* Græci dicunt συνάγειν. ſic *Athenæus* Dipnoſoph. Lib. VIII, Cap. XVII, p. m. 365. ἔλεγον δὲ συνάγειν, καὶ τὸ μετ' ἀλλήλων πίνειν, καὶ συναγώγιον τὸ συμπόσιον; quod Clar. *Jac. Dalechampius* Latinè ita vertit: *Συνάγειν verbum in uſu olim fuit, pro eo quod eſt viciſſim compotare ac mutitare, & pro convivio συναγώγιον.* Taceo errorem Viri non neminis Clariſſimi, qui in *Compendio* ſuo *Antiquitatum Rom.* p. m. 242. (edit. Budiſſ. 1715, 8.) verbum *mutitare* exponit, *munera invicem mittere*, forte ab alio quopiam deceptus.

CAP. XXVII, p. 195.

Multaque tum ductu ejus (ſertorii) *curata -- per invidiam ſcriptorum celata ſunt: quæ eminus facie ſua oſtentabat, aliquot adverſis cicatricibus & effoſſo oculo.*] Verba ſunt *ſalluſtii*, quæ,

quæ, cum ad Librum I. Hiſtor. pertinent, (v. Gell. X, 26.) perperam ad Libr. VI. ab enarratoribus Hiſtorici referuntur. Taceo de *Jac. Gronovio*, qui pro iis, *ſunt: quæ eminus facie ſua oſtentabat*, legendum ſuſpicatur, *ſicut quibus, faciem ſuam oſtentabat*. Sed enim non intellexiſſe videtur Vir Clariſſimus mentem Salluſtii, quæ ita eſt: *quæ* ſc. facinora, *celaverant ſcriptores, ea ipſemet ſertorius facie oſtentabat*.

Ibid. p. 196.

Qui (Philippus) *ſingulos artus ſuos fortunæ producendos daret*,] alii Codices habent *prodigendos*, alii *prodicendos*, unde malim *præcidendos*.

CAP. XXVIII, p. 198.

Quotiens annona cara,] nimirum in difficili rei frumentariæ tempore ſacra annonaria diis fieri ſolebant nomine deæ *Annonæ:* quò pertinet gemina illa Inſcriptio apud *Gruterum* pag. LXXXI, n. 10. ANNONÆ. SANCTÆ. ÆLIUS. VITALIO. MENSOR. PERPETVVS. DIGNISSIMI. CORPORIS. PISTORVM. SILIGINIARIORVM. D. D. item p. MLXV, n. 10. ANNONA. AVGVSTI. CERES.

CAP. XXX. p. 203.

Fluctus - - - ſternuntur & conſlacceſcunt,] i. e.

i. e. languefcunt. Sic *flucti* (antiquitus pro *fluctus*) *flaccefcunt*; dixit *Pacuvius* apud *Nonium* Cap. VIII, n. 37. ut proinde fruftra *Jac. Mofantus Briofius* phrafin Gellii tanquam fingularem notet.

* * *

LIB. III. CAP. I.

p. 205.

Apud balneas Sitias,] Legi oportere, *Titias*, jam docti viri monuerunt. Addo teftimonium *Caffiodori* in Chronico de Domitiano p. m. 690. *His* COSS. (Domitiano & Clemente) *infigniffima Romæ facta funt*, *Forum Trajani*, *Thermæ Trajanæ & Titianæ*. Sic corruptè *fitium* oppidum legitur apud *Frontinum* Strateg. 1, 8, 3. ubi vide *Tennulium*.

CAP. II; p. 209.

Eo die videri natum,] lege, *eo die videatur natus*, præeunte *Macrobio*, qui hoc Gellii caput in Saturnal. Libr. 1, Cap. 3. tranfcripfit.

CAP. VII, p. 222.

Oftendit exitium de loci importunitate, *& hoftium circumftantia. Maturum cenfeo*, *inquit*,

quit, - - -] lege & diſtingue ſic: *oſtendit exitum* (ita eſt in antiquiſſima editione Veneta) *de loci importunitate & hoſtium circumſtantia maturum. Cenſeo, inquit*, - - - Certè niſi ſeparandæ eſſent voces *Maturum* & *Cenſeo*, jam *Nonius*, qui Gellium ſive Catonem h. l. exſcripſit Cap. II, n. 909. in v. *Verruca*, nequaquam hoc primordio uſus fuiſſet, *Cenſeo, inquit*, - - -

Ibid. p. 223.

Uſus venit,] Antiquiſſima editio Veneta habet, *uſu venit*, quod minimè diſſimulandum puto.

CAP. VIII, p. 226.

Non Timochårem ſed Niciam, - - -] Non multum forte erraverim, ſi medicum illum Pyrrhi *Timocharem Niciam* dictum fuiſſe credam. Emenda *Ælianum*, cui *Nicias* noſter corruptè Κινίας vocatur Lib. XII, Var. Hiſt. Cap. 33. De hoc *Nicia* aliiſque ejuſdem nominis vide *Fabricii* mei Biblioth. Græc. Lib. III, Cap. XVII, pag. 432. ſq.

CAP. IX, p. 227.

Comanti juba,] Nota illud *Servii* ad Libr. III. Æneid. vs. 468, p. m. 549. *Eſt participium* comantes *notum*: *non enim eſt verbum* como. Quam traditionem grammaticam ut incertus

certus Auctor in *Lexico Fabro-Cellariano* refellat, duo advocat testimonia, alterum *Tertulliani*, alterum *Taciti*, in quibus verbum *Comare* invenisse sibi videtur. Sed næ errat; nam utroque in loco est *Comere*, pro ornare.

Ibid. p. 229.

Colore exuberantissimo,] *Trillerus* in suis ad me litteris substituit *rubrantissimo*. Mihi placet, quod in optimis & antiquissimis Codicibus traditur, *exsuperantissimo*.

CAP. X, p. 233.

Quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt;] Primum pro *sunt*, lego *fiunt*: deinde, quod ab interpretibus omissum video, monere haud alienum puto, nimirum in vetustissima editione Veneta A. 1472 pro *decrementa* legi *detrimenta*; sicuti *Solinus* in Polyhist. Cap. I. p. m. 9. *nascentium detrimenta* dixit, pro quo *Salmasius* in Exercitat. pag. 42. mavult *decrementa*: ut proinde parum firmâ fide Clarissimus *Iac. Frid. Reimmannus* in Historia Vocab. p. 58, vocabulum, *Decrementum* inter Singularia Gelliana numeret, quod & alii factitarunt.

CAP. XVI, p. 245.

Ἐςὶ δὲ καὶ ὐκ ἔςιν ὀκλάμενος γένεσις.] Verba

 Hip-

Hippocratis sunt, quæ in isto (scribit *Trillerus* meus) libello περὶ τροφῆς, non exstare, frustra clamat *Gronovius*. Vide autem de hoc loco *Mercurial.* Var. Lect. L. IV, c. 10. & *Mureti* ad eum Epistolam, quæ ibidem inserta legitur. adde & in primis ejusdem Var. Lect. L. XV, Cap. 12.

Ibid.

Monstruosas raritates,] Lege (verba sunt *Trilleri* mei) *menstruosas raritates*: nam de *mensibus* in hoc capite sermo; unde Varro partus illos *octavo*, *undecimo* aut alio mense non legitimo aut consueto in lucem editos, elegantissimè vocat hic *menstruosas raritates*. Putem hoc verum esse & merito recipiendum. Hæc *Trillerus*, satis lepidè, si aut necessitas suaderet, aut sermo Latinus ferret.

Ibid. p. 247.

Idem Accii quod Titii.] Supposita hæc nomina sunt, & ex medio usu desumta, sicuti *Cajus* & *Caja*, *Sejus*, *Lucius*, aliaque, quæ exemplis in Jure Romano serviunt, ut *Plutarchus* docet ἐν Ῥωμαϊκοῖς Quæst. XXX. pag. 271. Conf. Gell. Lib. V, c. 19. ex Rogatione veteri.

* * *

LIB.

LIB. IV. CAP. I.

p. 255.

QUispiam Grammaticæ rei scitior,] Inscitum profecto hoc *scitior* videtur, quod *Gronovius* ex ingenio in textum intulit, quia in tribus codicibus obvium fuit *ditior*. Aliæ editiones habent, *doctior*, quas Clarissimus *Perizonius* ad Sanct. Minerv. Lib. II, Cap. X. n. 6. p. m. 223. sequitur, addens hanc interpretationem, *non ita prorsus & absolute doctus, sed tamen aliquantum doctior vulgo.* Mihi placet vulgatum & a *Stephano* atque antiquissimis melioris notæ editionibus receptum, *doctor*. Conf. Gell. XI, 13, XIII, 21, al. 20, XVII, 5, XVIII, 2, 9.

Ibid. p. 257.

Sed si item mihi præmandere, quod ajunt, postulas,] Mirè hic variant & Codices & Interpretes, quibus ut morem aliquem geram, sic lego, uti jam quondam in Novis *Kraussi* mei professus sum, *sed si istam tibi præmandi rem*, q. a. p.

CAP. II. p. 262.

TITULUS SCRIPTORUM - -] ita primus edidit *Iac. Gronovius*. Ego receptum illud,

illud, SERVORUM, retineo. Conf. *Sueton.* de Ill. Gr. Cap. 4. in vita Orbilii.

Ibid. p. 263.

Balbus & atypus] Mihi (inquit *Trillerus* meus) rejectis aliis divinationibus commodissime legi posse videtur *Oedipus*, h, e, qui *vitio pedum laborat*; sequitur enim mox *equus calcitro*, quo antecedentia respicere possunt.

CAP. VI. p. 274.

Tib. Coruncanio pontifici] Scribe aut *Pontifice*, aut cum antiquissimis PONT. — Hic *Coruncanius primus ex plebe Pontifex maximus creatus est*, ut memoriæ prodit Auctor *Epitom. Liv.* Lib. XVIII, p. 479. Conf. *Plutarch.* Problem. Cap. 113.

CAP. XI. p. 283.

—— ἔχειν ἀνιώντον ἔδεσθαι] *Trillerus*, cunctis doctorum emendationibus neglectis, legit ἀνεμοέντων, aut ἀνεμώντων, sc. κυάμων; h, e, *fabæ ventosæ*, seu *inflantes:* qua emendatione nihil putat ad hunc locum aptius.

CAP. XII. p. 288.

Si quis agrum suum passus fuerat sordescere -] Hæc agrorum cura a rege Numa primum tra-

tradita ac sancita mihi videtur. Is nimirum agris magistros præposuit, qui tam bonorum quàm ignavorum colonorum nomina notata ad se d[illegible]rent; quô factô, Rex industrios collau[illegible] segnes multâ aut objurgatione castiga[illegible]. *Dionys. Halicarn.* Lib: II, p. m. 172. Denique Gelliano loco nostro geminus est *Plinianus* ille Lib: XVIII. Hist. Nat. Cap, 3, *Agrum male colere, Censorium probrum judicabatur.* ——

Ibid.

Impolitiæ notabatur,] Addo *Festi* illud: Impolitias *Censores facere dicebantur, cum equiti æs obnegabant ob equum male curatum*, sive minus politum. Taceo de *Iac. Mos. Briosio*, qui vocabulum, *Impolitia*, perperam inter singularia Gelliana notat.

CAP. XIV, p. 290.

Quo eum (ædilem) *venire cum coronario non decuisset.*] forte *cum corona viatorum decuisset*; ad coërcendas libidines, ministris viatoribus, qui magistratui serviebant. Sed nihil muto, Codicibus adeo constanter consentientibus.

CAP. XVII, p. 296.

Ita hos fert ventus ad priorem Pyrenæum —] Verba sunt ex Oratione *Catonis*, quam de Con-

Consulatu suo habuit. Ego non dubito Gellium sive Catonem pro *ita bos*, scripsisse *Italos*.

Ibid.

Humidus unde oritur imber -] ex Ennio. Sic editiones veteres; at *Festus* & Codices antiqui constanter retinent *bumidas*, unde *Iac. Gronovius* offert *bumigans*: pro quo ego malim *bumidans*, quod probum verbum est, & jam quondam ex *Celso* mihi observatum, ut in *Supplemento* meo *L. Latinæ* p. 146 significavi.

* **

LIB. V. CAP. III.

p. 306.

P*Rotagoram* - - -. *Quod genus Græci* ἀχθοφόρους *vocant*,] Apud *Laërtium* Lib. IX, § 53, p. m. 517 *Protagoras* dicitur φορμοφόρος. conf. præcedd. ibid. & *Menag*. p. 421, nec non Lib. X, §. 8. p. 607 de *Epicuro*, qui Protagoram φορμοφόρον itidem appellitabat, sicuti & *Athenæus* L. VIII, Cap. 13, p. 354, Πρωταγόραν φησὶ ἐκ φορμοφόρου καὶ ξυλοφόρου πρῶτον μὲν γενέσθαι γραφέα Δημοκρίτου.

CAP. VI. p. 314.

Impulverea, ut dici solet. – victoria] Ex eo,

eo, quod interjicitur, *ut dici solet*; constat, vocabulum, *Impulverea*, in communi & medio Latinè loquentium usu fuisse, ut proinde perperam a *Reimmanno* in Hist. Vocab. L. Lat. p. 61, inter Singularia Gelliana notetur; quanquam hic corruptè cum quibusdam *impulvere* legit.

Ibid. p. 315.

Coronis donaverat milites, quia vallum curaverant.] Hinc CORONA VALLARIS, apud *Gruterum* Inscript. pag. 375, num. I, & p. 403, n. I. ut de *Livio* aliisque taceam.

CAP. IX, p. 318.

Historia de Crœsi filio --] Consimilem de *Uffone*, Regis Wermundi filio, refert *Saxo* Noster Lib. IV. Histor. Dan. pag. 63; atque aliam *Pausanias* Lib. X, p. m. 637, de *Batto*, qui leonis improviso aspectu territus, immani clamore sublatô, officium linguæ recuperavit.

Ibid.

Nomen illi fuit Αἰγλης] Qui *Egles* scribunt, jam commonefacti sunt a *Paulo Leopardo* Emendat. Lib. XIV, Cap. XII, p. m. 298.

Ibid.

Ibid.

Inter ipsos & adversarios,] Forsan, *inter ipsosmet adversarios.*

CAP. X. p. 320.

Consistendæque causæ gratia] Si quid mutandum, suspicor, genuinum esse, *Constituendæque causæ gr.* Sic *constituere litem* dixit *Quintilianus* Lib. VII, Cap. 4; & *Petronius* p. m. 52, *Facio inducias vobiscum & a constituta lite dimitto.*

Ibid. p. 321.

Captionis versutè excogitatæ frustratus fuit.] Sic veteres libri. Stephanus & quidam alii *excogitatu.* Mihi prior lectio probatur, quæ Græcæ linguæ ingenio affine quidpiam habere videtur. Sic enim *Isocrates:* τῆς μὲν ἐν ἰδίας ἐλπίδος ἅπαντες ἐψεύσθησαν, *spei omnes frustrati sunt.* V. *Vechner.* Hellenolex. Lib. I, Cap. XXIV, p. 159. Non est itaque quod Lexicon Fabro-Cellarianum nobis substantivum, *Excogitatus*, pro genuino nomine Gelliano vendidit.

CAP XI. p. 322.

Forma-Stata] *Hippocrati* in Aphorismis & alibi est καθεστηκυῖα: Græco siracidis interpre-

ti

ti ἡλικία ςαϑίμη, Cap. XXVI, 17. Vid. ibi Grot. p. 665. Verba sunt *Trilleri*.

CAP. XIII. p. 327.

Adversus cognatos pro cliente testatur:] *Testatur* procul dubio hic *Cato* impersonaliter passivè dixit pro more suæ ætatis. Atque ego quidem in *supplemento* meo L. Lat. pag. 344, jam ex *Prisciano* (Lib. VIII, p.m. 291) olim monui, veteres & *testo* & *testor* dixisse. Quo accedit illud ex XII *Tabulis* apud Nostrum XV, 13, QUI. SE. SIERIT. TESTARIER, h, e, testem adhiberi. uti rectè JCti interpretantur. V. *Sigon.* de Judiciis L. II, Cap. XV, p. m. 572.

Ibid.

Pupillarique tutelæ muliebris prælata.] Ego profecto non dubito, a Gellio relictum esse, quod Vett. Editt. suadent, *pupillarisque tutela muliebri prælata*, nam, ut jam ante docti viri observârunt, pupilli ob teneram ætatem mulieribus in officio tutelæ præferebantur. Mulieres autem Romanæ in perpetua tutela erant, *propter infirmitatem consilii*, ut *Cicero* ait pro Muræna Cap. 12.

Ibid. p. 328.

A propinquis nostris] *Gronovio* Gellius ex

Cæsare scripsisse videtur, *ante propinquos nostros*. Retine *a propinquis n.* i, e, proximè post propinquos nostros.

CAP. XIV, p. 329.

Comisque cervicum fluctuantibus,] Ad quæ *Trillerus* meus: „ Est qui legere voluit, *flui-* „ *tantibus*, quasi vero *fluctuantibus* non idem. „ Ceterum locus ita legendus: *Comisque* „ *cervicem circumfluctuantibus*, aut *cervicem* „ *fluctuantibus*. " Retine vulgatum.

Ibid. p. 330.

Sole medio, *rapido & flagrante*] *Priscianus*, ut jam alii monuerê, Lib. VI, p. m. 200, apud Gellium l. c. legit, *sole medio*, *& arido & flagranti*: ut proinde neque audiendus sit Fulvii Codex, qui habet *meridiano*, neque Clarissimus *Gronovius*, qui auctorem scripsisse *sole meridie*, suspicatur. Certè jam ante Gellium pariter *sole medio* dixerunt *Phædrus* L. III. Fab. XIX, vs. 8, *Valerius Flaccus* L. II, vs. 444, & L. III, vs. 482, alii.

Ibid.

In eam me penetro,] Novè Gellius sic locutus videtur *Gronovio*, ut & *Jacobo Mosanto Briosio*: sed enim auctores Noster antiquos sequutus est, uti *Vechnerus* in Libro I, Hellenolex. Cap. VII, p. 39. docuit.

Ibid.

Ibid. p. 331.

Revelli,] Vett. Editt. habent *revulsi*; quam præteriti formam Lexicon Fabro-Cellarianum quoque profitetur, sed omni auctoritate destitutam, imo minus probam, adeoque a *Servio* ad Virgil. Æn. IV, 427, p. m. 623 repudiatam. Conf. *Supplementum* meum L. Lat. p. 116.

CAP. XV. p. 333.

—— *Nam omnino haud placet*] *Trillerus* meus certo certius legendum contendit, *nam nimium haud placet*, ex formula parœmiæ Græcorum, Μηδὲν ἄγαν. Quam in lectionem quò minus concedam, obstat consensus tum omnium Codicum, tum ipsius quoque *Ciceronis* Lib: II. Tusc. Cap. I, princ. ut omittam, primum nulla emendatione opus esse, deinde inter interpretes dicti illius Enniani de vero sensu non convenire. Vid. Scip. Gentil. in Apuleji Apol. pag. 82. sq. & *Philipp. Frid. Hane* de Ingeniis Gent. Boreal. Philosophicis § VI, p. 26.

CAP. XVI. p. 334.

Epicurus autem affluere semper ex omnibus corporibus] Ut ne dubites legere, *effluere*, audi, quæso, illustrem locum *Quintiliani* Lib: X, Cap. II. p. m. 926. *Sufficiat imaginem virtutis effingere, & solam, ut sic dixerim, cutem,*

vel *potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere.*

CAP. XVII. p. 335.

Tanquam ominalem diem] *Macrobius* Lib: I. Saturn. 16, scribit *inominalem*, pro quo *Meursius* mavult *innominalem*, id est, nefastum. Cui *Trillerus* meus adstipulatur in hunc modum: „ Infausti ejusmodi dies inter „ alia vocabantur Græcis ἀποφράδες, h, e, „ *indicti*, quibus nullum nomen, quique „ nominari interdicti, μὴ οἷαι τε οὖσαι φράζεσθαι, ut Grammatici rectè exponunt, „ quod hic Gellius per *innominales* scitissimè „ expressit. " Mihi placet, *inominalem*, quod Codices & Gellii & Macrobii, quod antiquissimæ editiones constanter fere tradunt, h, e, *mali ominis*; quamquam non diffiteor, acutius esse *Meursii* illud, *innominalem.*

Ibid.

Ante diem quartum nonas sextilis.] quod Interpretes rectè exponunt, *die quarto ante nonas Sextilis sive Augusti.* Conf. *Vorstii* Lat. Select. P. I, Cap. 8, p. 245, & quæ Clarissimus *Heineccius* in Commentario ad Leg. Jul. L. II, Cap. IX, p. 220, acutè differit super illo apud *Paulum* JCtum: *Ante diem decimum Kal.*

CAP.

CAP. XVIII, p. 337.

Commovere quicquam - -] *Trillerus* mavult, *commonere*.

CAP. XIX, p. 340.

Inter præmia patrum,] intelligo *jus trium liberorum*, & similia. Sic *Seneca* Lib. II. de Benef. c. 34. *In quo spectavit legem patriam, præmia patrum*, &c.

CAP. XXI, p. 341.

Inauditiunculas,] *Briosius* interpretatur Græcè ἀκροαμάτια, Lexicon Fabro-Cellarianum *auditiunculas*, sive *doctrinulas in occulto acceptas*, alii *regulas vulgares*, *quas audiendo acceperat*. Ego *inauditiunculas* accipio, quæ Græci παρακούσματα vocant, sicuti *Porphyrius* in vita Plotini cap. 7. vid. *Fabricii* sive *Fabricium Bibliothecam Græcam* Lib. IV, cap. XXVI, p. 104. in Notis litt. r.

Ibid.

Adortus quemque,] malo, *quemquam*. Sed nihil tamen muto citra necessitatem.

Ibid. p. 344.

Inter sese multi - -] Eadem verba *Catonis* refert

refert *Nonius* Cap. II, n. 143, ubi *Mercerus* pro *multi* edidit, *inulti*. vide hujus notas pag. 116.

* * *

LIB. VI. CAP. I.

p. 345.

SUſtuleris, unum, abſtuleris utrumque.] *Trillerus* meus mavult, quod ex Codice Regio Gronovius annotavit, *ſi tuleris unum*, - - mihi placet omnino receptum *ſuſtuleris* : quis enim neſcit, ἔλλειψιν particulæ, *ſi*, iis, qui integrè & purè locuti ſunt in veteri civitate Romana, per eſſe familiarem?

Ibid.

Chryſippus in eodem libro tractat, - - - ἐι αἱ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται, &c.] Chryſippo pulchrè & doctè reſpondet *Lactantius*, quem vide ſis Lib. de Opificio Dei cap. IV. Taceo de *Seneca*, qui in libro de Providentia cap. 4, ad hanc quæſtionem, *Quare Deus optimum quemque mala valetudine afficit?* pro more ſuo Stoicè reſpondet, quia *dignus viſus eſt Deo, in quo experiretur, quantum humana natura poſſet pati*, &c.

CAP. II, p. 350.

Perfugiunt ad fati neceſſitatem - -] ſicuti ſer-

servus *Zenonis* Stoici, qui in furto deprehensus cum vapularet, vociferatus fertur, Εἱμαρτο μοι κλέψαι, *fatale mihi erat furari:* ad quæ Zeno- Καὶ δαρῆναι, *Et cædi.* v. *Laërt.* Lib. VII, §, 23, p. m. 379.

CAP. III, p. 351.

Apud Bagradam flumen,] Editionum veterum aliæ habent, *Bragadam.* Priorem verò lectionem mihi confirmant *Cæsar* Lib. II. de B. Civ. cap. 5. & 7. *Livius* XXX 25, *Valerius* I, 8, 19. *Florus* IV, 2, 70. *Mela* I, 7, 9. *Procopius* Hist. Vandal. Lib. II, p. m. 104, alii. Emenda itaque, si lubet, *Strabonem;* cui Βαγάδρας flumen nostrum dicitur Lib. XVII, p. m. 1189. Mitto errorem Geographorum, qui *Bagradam* confundunt cùm *Magrada*, hodie vulgo *Megrada* seu *Magrida*; nam diversum hoc flumen est, de quo vide sis *Melam* Lib. III, Cap. I, p. m. 241.

CAP. V. p. 354.

Ennii tragœdia, quæ inscribitur Alexander,] facta procul dubio ex Græca illa *Euripidis*, cujus titulus, Ἀλέξανδρος, apud *Ælianum*, Lib. II, v. Hist. cap. 8. aliosque scriptores veteres superest; quanquam & *Sophocles* Ἀλέξανδρον scripsit, uti *Hesychius*, *Eustathius* atque alii testantur. Hos Poëtas adde scriptoribus istis de *Alexandro M.* quorum Catalogum

gum Celeb. *Fabricius* Lib. III, Bibl. Gr. c. VIII, p. 207-ſqq ſcriptum reliquit.

Ibid.

Argenti puri puti.] Unum inſtar omnium vide *Borrichium* Cogitat. pag. m. 281. De fœdere facto inter Carthaginienſes & Romanos vide præcipuè *Polybium* Lib. I, p. m. 88. ſq.

CAP. VI. p. 356.

Erucio Claro,] vide quæ de Clariſſimo hoc Viro ejuſque filio in *Memoriis Obſcuris* P. II. p. 144. ſq. diſſerui. Conf. *Gruter*. Inſcript. Pag. CCIX, I, vs. 5. nec non Variorum Corrigenda ibid. Pag. CCCXXIV.

CAP. VII, p. 358.

Sacrificium ei (Accæ Larentiæ meretrici) *publicè fit*,] quod iniquiſſimè ferunt *Lactantius* I, 20, 4. & *Minucius* in Octav. XXV, n. 9. Hujus feſta *Accalia* dicta fuiſſe tradit *Varro* de L. Lat. Lib. V, cap. 3. item *Laralia*; vid. *Gruter*. Inſcript. p. CXXXIII. & Not. ibid. Fuit & altera *Larentia*, de qua *Plutarchus* meminit in vita Romuli pag. 19. Utramque repræſentat numus antiquiſſimus aureus, Romæ anno, ut videtur, poſt. U. C. 547. cuſus, de quo videas Auctorem Libri Gallici, (edit. Pariſ. 1720, Quarto) cui titu-

titulus: *Reflexions sur les deux plus anciennes Medailles d'or Romaines, qui se trouvent dans le Cabinet de S. A. R. Madame.*

Ibid.

Cujus sacerdotii insigne est spicea corona - -] De hoc insigni ita *Plinius* Lib. XVIII, Cap. 2, princ. *Arvorum sacerdotes Romulus in primis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit. Inter illos ab Acca Larentia nutrice sua, spicea corona, quæ vittâ albâ colligaretur, in sacerdotio ei pro religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona: honosque is non nisi vitâ finitur, & exules etiam captosque comitatur.* Hujusmodi forte corona fuit, quam *C. Cornelius*, sacerdos Patavinus, *capiti detractam juravit se non prius depositurum, quàm arti res ipsa fidem fecisset*; uti *Plutarchus* in vita Cæsaris narrat pag. 730.

CAP. VIII, p. 359.

Publiumne Africanum superiorem,] Quæ de Continentia *Scipionis Africani Superioris* Noster commemorat, ea ad *Scipionem* Minorem, sive *Æmilianum*, qui Numantiam & Carthaginem bello Punico tertio evertit, refert *Plutarchus* in Apophthegm. p. 196. Conf. *Valer.* Max. IV, 3, 1, & *Liv.* XXVI, 50.

CAP. X. p. 362.

Euclides - - - Megaris Athenas ad Socratem commeabat,] quasi ex monito *Isocratis* Orat. I. ad Demonicum § 41, Μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τὺς διδάσκειν τὶ χρήσιμον ἐπαγγελλομένυς. Ceterum quod Noster de *Euclide*: idem ferè *Laërtius* de *Antisthene* refert Lib: VI, § 2, p. m. 318, Οἰκῶν ἐν Πειραιεῖ, καθ' ἑκάσην ἡμέραν, τὺς τετταράκοντα σαδίυς ἀνιὼν, ἤκυσε Σωκράτυς: *habitans in Piræeo, quotidie quadraginta stadia emensus in urbem pergebat, ut Socratem audiret.*

Ibid.

Nunc videre est philosophos ultro currere, ut doceant, ad fores juvenum divitum,] Conf. *Laërt.* de Philosophis, fores divitum obsidentibus, Lib. II, § 70, p. m. 121, & *Petron.* Satyr. p. 12, nec non *Lucian.* Dialog. Κάρωνος καὶ Ἑρμῦ, p. m. 144 sq.

CAP. XII. p. 363.

- - - *In libro de sacris detestandis secundo*] sunt qui aliter legunt, sed corruptè. Nam apud Nostrum itidem legas Lib. XV. c. 27, *Isdem comitiis, quæ calata appellari diximus, sacrorum detestatio & testamenta fieri solebant.* Quid autem sit *detestatio Sacrorum*, jam diu ab eruditis quæsitum est. *Nic. Gruchius* Lib. III.

III de Comitiis, *Deteſtationes Sacrorum* interpretatur, *Conſecrationes, quas publicè in concione populi fieri oportebat.* Alii, ut *Scaliger, Grævius* & *G. H. Nieupoort* exponunt, *Denuntiationes, quæ heredi abſenti fiebant, ſacra, quæ hereditatem ſequebantur, eſſe ſuſcipienda.* Illuſtris *Cornelius van Bynckershoek* Librum Servii Sulpicii, quem Gellius allegat *de Sacris deteſtandis*, accipere videtur de *ſacris peregrinis*, uti conjicio ex *Actis Erud.* A. 1720, p. 474. Ego *Deteſtationem Sacrorum*, non dubito dici *denunciationem cerimoniarum, ſive rituum ſacrorum in certum quoddam tempus*, quum *Deteſtatio*, difiniente *Ulpianô* Lib: L. Digeſt. Tit. XVI, leg. 40, p. m. 777, ſit *denunciatio facta cum teſtatione.*

CAP. XIV. extr. p. 368.

Ego in medium relinquo] Lexicon Fabro-Cellarianum approbare tantum videtur, *in medio.* Sed enim, qui probè locuti ſunt, approbant, *in medium.* Vide noſtrum XVII, 2, ex Cl. *Quadrigario*, ubi ille ex hoc vindicat ignotum vulgo, *in medium relinquere.* Adde *Taciti* illud in Germania Cap. XLVI, n. 9. extr. *Quod ego ut incompertum, in medium relinquam.* Conſimiliter *Lactantius* de Vita Beata I, 4, *ſi hoc*, inquit, *cujus cauſa illa ſuſcepta ſunt, in incertum relinquamus.*

CAP.

CAP. XVII. p. 372.

Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est] Lego *Nicator*, cui cognomento originem dedit multitudo victoriarum, teste *Appiano* de Bell. Syr. p. m. 200. γενομένῳ δὲ αὐτῷ τὰ ἐς πολέμους ἐπιτυχεστάτῳ, Νικάτωρ ἐπώνυμον γίνεται. τῷ δὲ γὰρ ἀρέσκομαι μᾶλλον τῦ Νικάτορα εἶναι; *Quia victoriosus fuit, Nicator vocatus est. Hoc enim credere malim, quàm cognomen ex Nicatore cæso retulisse.* Cui suffragatur *Ammianus* Lib. XXIII, c. 16, *Nicatori Seleuco victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum:* item *Ampelius* in Libro Memoriali p. m. 37, *Seleucus finitimos sub se redegit, unde Nicator est appellatus.* Constanter porro Noster Νικάτωρ vocatur *Straboni*, quem vide sis Lib. XII, p. m. 866, L. XIII, p. 925, L. XIV, p. 985, L. XV, p. 1006 & 1054, L. XVI, p. 1073, atque alibi sæpius. Conf. *Pauſ.* Lib. VIII, p. m. 537.

Ibid.

Ingens postea numerus librorum in Ægypto a Ptolemæis regibus vel conquisitus vel confectus est] ubi *confectus* ab Gronovio exponitur *comparatus*, sed parum considératè, tum quod proximè præcedit *conquisitus*, i, e, comparatus, tum quod *confectus* hanc significationem non capit. Meminisse oportet, ab ipsis etiam Ptolemæis Ægypti regibus libros confe-

fectos fuisse. Sic *Ptolemæus Evergetes*, Aristarchi auditor, ἱστοριῶν Libros XXIV; sic *Ptolemæus Lagi* res Alexandri scripsit, alii alia. Vide *Plutarchum* de Iside & Osir. pag. 354.

* * *

LIB. VII. CAP. I.

P. 374.

N*Eque latrarent eum*] quidam malunt, *in eum*. Sed enim & *Plautus* ita locutus est in Pœnulo V, 4, 64, *Etiam me meæ latrant canes?* Conf. *Vechner*. Hellenolex. L. I, Cap. VII, p. 37.

CAP. III, p. 386.

Aliis argumentis convelat] Lege (inquit *Trillerus* meus) sine controversia, *Convallat*: præcessit enim verbum militare *præfulcit*; pergit igitur jam, ut solet, in allegoria. Utitur & infr. L. XII, c. 13, eleganter hoc vocabulo.

CAP. IV, p. 390.

Mancipia insignia esse] malim, *insignita*; i, e, signo notata, sicuti pileo, de quo Auctor ibid., & *Anselmus Solerius*, sive, qui sub hoc nomine latet, *Theophilus Raynaudus* S. J. in Libro de *Pileo*, Sect. X, p. m. 221.

Ibid,

Ibid.

Circumstatio militum corona] Apud Athenienses locus, in quo mancipia vendebantur, dicebatur κύκλος; quod a re proposita haud alienum videtur. Vid. *Meursii* Lect. Attic. Lib. I, Cap. 2.

CAP. VI. p. 391.

Inora] Lege *inodora* cum *Nonio* Cap. II, num. 463, quod *Mercerus* in notis ad hunc p. 125, quod *Trillerus* aliique præferunt; quanquam non ignoro., etiam *inoros*, sive ore carentes, quos ἀςόμυς vocat *Strabo* L. II, p. m. 121, a priscis historiæ scriptoribus memorari. Pariter apud nostrum pro *inaurita*, lege *inaudita*, i, e, auditu carentia.

CAP. XXII. p. 420.

Cato in Oratione, quam de Sacrificio commisso *scripsit*] Ego profecto non dubito reponere, *sacrilegio commisso*, fide & auctoritate *Festi* pag. 382, edit. Dacer.

* * *

LIB. VIII.

NOlo hic repetere, quæ in *Vigilia Pima Noctium Ripensium*, sive in *Commenta-*

rio

rio ad VIII. hunc A. Gellii Librum deperditum (edito Hafn. 1727, 8°.) copiosius disserui.

* * *

LIB. IX.

ADmonere hic in primordio juvat, de quo jam antè in *Memoriis* meis *Obscuris* Part. III, p. 195 me admonere memini, Fragmentum ex hoc *libro Gellii Nono* citari apud *Priscianum* Lib. VI, p. m. 191. A Gellius noctium Atticarum nono: *Historia ex libris Heraclidæ Pontici jucunda memoratu & miranda*. Quod non eorum modò, qui Gellium ediderê, diligentiam subterfugit, sed & clarissimi *Vossii*, qui de *Heraclide Pontico* diligentissimè disserit in Libro I. de Hist. Gr. Cap. IX, p. 44 sq.

CAP. II, p. 428.

Demus huic aliquid æris, cuicuimodi est, tanquam homines, non tanquam homini.] Verba sunt *Herodis Attici*, efficta, ut mihi videntur, ad formulam dicti *Aristotelis*, qui objurgatus, quod homini improbo pariter stipem dederat, respondisse fertur apud *Laërtium* L. V, §. 21, p. m. 280, Ὀυ τῷ ἀνθρώπῳ ἔδωκα, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ, *Non homini dedi, sed humanitati*; Quod itidem præ oculis habuisse videtur *Seneca* in illo Lib.

Lib. IV. de Benef. Cap. 29, extr. *Non homini damus, sed humanitati.*

Ibid. p. 429.

Ἄξιος ἦν ἐςὶν ἀργυρίῳ] Alii aliter interpretantur hoc *Musonii* dictum. Meâ quidem sententiâ nebulo *ἀργυρίῳ ἄξιος* a philosopho judicatus est, quod virtute, quæ ipsa sibi præmium est, carebat. Quò referri forte poterit illud *Senecæ* Epist. LXXXVII. *Pecunia sic in quosdam homines, quomodo denarius in cloacam cadit: Virtus super ista consistit, suo ære censetur.*

Ibid.

Nomina — ne unquam servis indere liceret] sicuti *Domitianus Metium Pomposianum occidit, quod servis nomina Magonis & Annibalis ducum fortissimorum indidisset*, ut auctor est *Suetonius* c. 10.

CAP. V. p. 439.

Hierocli Stoici] *Hyllarimensis*, quem eruditorum nonnulli perperam cum *Hierocle* Platonico *Alexandrino* confundunt. Vid. *Fabric.* Biblioth. Græc. Lib. II, Cap. XII, p. 470, & *Mölleri* Homonymosc. Cap. III, § 30, p. 312 sq.

CAP.

CAP. VII. p. 441.

Nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare.] h, e, ut ego opinor, alias, quæ digitis non tanguntur, sonare, cum aliæ pulsantur. Locus profecto perobscurus, res non ita comperta, nisi de pluribus & diversis fidibus sive insttumentis accipias, aut chordis in uno organo supra chordas positis.

CAP. X, p. 449.

Non prætextatis sed puris honestisque verbis] *prætextatis*, id est, obscenis. Sic *Suetonius* in Vespasiano Cap. 22, *Erat dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret.* Conf. *Budæi* Annotat. in Pandect. p. m. 222.

CAP. XI. p. 450.

Agrum Pomptinum] Alii *Pontinum*; quod & editiones *Flori* habent I, 13, 20, *iterum Pontino agro:* ubi ex emendatioribus Codicibus *Jacobus Nicol. Loensis* Miscell. Epiphill. Lib. I, Cap. XX, p. m. 289, rescribi jubet, *item in Pomptino agro*; quod nec Flori neque Gellii interpretibus animadversum esse video. De *Agro Pomptino* vid. Cluver. Geogr. L. III, Cap. XXVII, p. m. 270 sq.

CAP. XII. p. 453.

Fabulosus & suspiciosus] Corrige *Gellium* ex *Nonio*, qui Lib. II, n. 763, *famosus* legit. Conf. *Mercer.* ibid. p. 135.

Ibid. p. 454.

Ignarus — *qui ignoratur*,] Sic Noster, veteres sequutus, Lib. XIV, 1, *sidera, aliis omnino ignarissima*, dixit, pro quo nonnulli male legunt *ignotissima*. Sic porro *Hyginus* Fab. 273, p. m. 199, *Paris Alexander pastor Priami ignarus filius*, i, e, ignotus, ignoratus. Conf. *Isidor.* Orig. Lib. X, litt. I, p. 1078. Alia testimonia alii præbent.

CAP. XIII. p. 455.

Gladios duos] sine dubio *Quadrigarius* scripsit *duo*, more veterum.

Ibid.

Utrinque quiescerent pugnæ. Facta pausa est.] Ubi *pugnæ* nomen aliis genitivus, qui a verbo *quiesco* regitur, videtur, uti *Bangio* nostro Lib. II. Observ. Philol. p. 1051; aliis dativus, uti *Perizonio*, qui huc trahit illud *Terentii* Andr. IV, 2, 8, *Quibus quidem nuptiis quam facile potuerat quiesci* — Mihi placet lectio quam Vett. editt. tradunt: *utrinque quies-*

quiescerent pugnare. Pugnæ facta pausa est. Quamquam phrasi, *quiesceret pugnæ*, consimilem me observare memini apud *Hirtium* de B. Africano Cap. 75, *postquam adversarios supersedere pugnæ animadvertit, reducit copias.*

Ibid. p. 456.

Gallus ---- cantabundus] Alii *cautabundus*. *Valens Acidalius* Divinat. in Mostell. Cap. VII, p. m. 242, pro *cantabundus*, quam vocem ineptam vocat, certum sibi esse ait reponi oportere, *captabundus*. Ita enim (verba sunt *Acidalii*) ex disciplina se composuerat Gallus, ut adversarium captaret. Sed falleris, *Acidali*; neque enim inepta vox est *cantabundus*, quâ *Petronium* quoque usum fuisse jam olim monui in *supplemento* meo L. *Lat.* p. 48. Ad hoc audi, quæ *Gebhardus* in Libro II. Ant. Lect. Cap. V. p. m. 599. appositè disserit. „ Hoc habuerunt moris Galli, „ ut, cum viderent sibi comparere provocatos hostes, in ipso certamine inceperint decantare majorum suorum virtutem, suamque ipsi extollere fortitudinem, adversariorum verò extenuare. Narrat hoc luculentis verbis *Diodorus siculus*, —— " Locus *Diodori* exstat Lib. V. de Celtis Cap. XXIX, p. m. 291. Atque paria de Batavis & Germanis narrat *Tacitus* Histor. IV, 18. & German. Cap. II, extr. nec non III, princ. Denique ut ad Gallum nostrum redeamus, hu-

jus *cantum* etiam *Livius* memorat Lib. VII, Cap. 10, p. m. 542.

CAP. XIV. p. 459.

Qui scripserunt, idiographum librum Virgilii sese inspexisse] Noster procul dubio intelligit *Valerium Probum* grammaticum, qui *Librum I. Georgicoon ipsius Virgilii manu correctum* se *legisse* testatur apud Nostrum Lib. XIII, Cap. 20. Sed & *Quintilianus* manum Virgilii vidit, ut fatetur Lib. I. Inst. Orat. Cap. 7. Vidit itidem *Plinius*. v. Lib. XIII. Hist. Nat. Cap. 12, extr.

Ibid.

Munera lætitiamque dii] pro *diei*. Quam lectionem vindicare supersedeo post Clarissimum *Jo. Clericum* Art. Crit. P. III. S. I. C. XIV, §. 7, p. m. 200.

CAP. XV, p. 462.

De reo septem judices cognoscant] Legi in hanc rem meretur *Quintiliani* Declamatio CCCLXV, p. m, 755, cui titulus est, DE VI SEPTEM JUDICES. Conf. *Pufend.* de J. N. & G. Lib. VII, c, 2, p. m. 984, & *Grot.* Isagog. ad Praxin Fori Batavi p. 60 & 310.

CAP.

CAP. XVI, p. 463.

Vir fortis præmio, quod optaverit, donetur. Qui fortiter fecerat, petit alterius uxorem - -] Verba ſunt *Plinii*, quæ *Martianus Capella*, diſſimulatô Auctoris nomine, paululum mutata adducit Lib. V, pag. m. 148. Huc pertinere videtur, quod Noſter de *Platone* refert L. XVIII, Cap. 2, *Plato præmia viris fortibus poſuit ſaviationes puerorum & puellarum.* Apud Tyrios ὁ ἀνδρειότατος κριθεὶς γαμεῖ, ἣν βέλεται, *qui fortiſſimus habetur, is quam vult, uxorem ducit*; ut auctor eſt *Strabo* Lib. XI, p. m. 791. Conf. Lib. XV, p. 1044, de Virginibus, prœmiis τῶν πυγμὴν νικησάντων. Vid. infr. Annotat. ad Gell. L. XVIII, c. 2.

* * *

LIB. X. CAP. I.

p. 465.

VErba *M. Varronis ex libro Diſciplinarum IV*] pro IV, lege, *quinto*, uti non modò veteres Gellii Codices tradunt, ſed & *Nonius*, qui eumdem *Varronis* locum allegat Cap. V, n. 50.

Ibid.

Quartum ſit Conſul] in *Gruteri* Inſcriptionibus

nibus neque *quartum* COS. neque *quartò* reperio, sed IIII, ficuti pag. MLX, n. 6, atque alibi.

Ibid. p. 466.

Græci quoque in significandis hujuscemodi rerum numeris τρίτον καὶ τέταρτον dicunt,] In Inscriptionibus Græci pariter ac Latini numeros compendiis litterarum significant, hoc modô: ΑΔΡΙΑΝΟC. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Γ̄. V. *Gruter.* p. CCCXV, n. 9. conf. p. CDVI, n. 10, ubi Φάβιος Χείλων dicitur Ὕπατος το Β̄.

CAP. II. p. 466.

Aristoteles memoriæ tradidit, mulierem in Ægypto uno partu quinque pueros enixam - - -] Locus *Aristotelis*, quem interpretibus Gellii animadversum non esse video, exstat Lib. VII, de Histor. Animal. Cap. 4, pag. m. 548. Conf. Tertullian. de Anima C. VI, pag. m. 309.

Ibid.

Eumque (partum quinque puerorum) *esse finem dixit* Aristoteles *multijugæ hominum partionis, neque plures unquam simul genitos compertum.*] Mirari adeò subit, quod de *Aristotele* tradit *Strabo* Lib. XV, p. m. 1018, Τάς τε γυναῖκας ἔσθ᾽ ὅτε καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας. Ἀριστοτέλης δὲ, καὶ ἑπτάδυμά τινα ἱστορεῖ τετοκέναι. Certè apud *Aristotelem* nihil hu-

hujusmodi hodie legas. Vide *Casaubonum*, qui ad Strab. l. cit. suspicatur, *Strabonem* non ἑπλάδυμα sed πεντάδυμα scripsisse. Memini tamen me de septem pueris uno partu editis legere apud *Paulum Warnefridum* Lib. I. de Gest. Langobard. Cap. 15. *His temporibus quædam meretrix, uno partu septem puerulos enixa, in piscinam projecit necandos. Hoc si cui impossibile videtur, relegat historias veterum, & inveniet non solum septem infantulos, sed etiam novem unam mulierem simul peperisse. Et hoc certum est maxime apud Ægyptios fieri.* Alia hujuscemodi quære apud alios, ut *Fabrottum* in Disquisitione de Numero Puerperii, pag. 97, *Majolum* D. Canic. p. 40 & 58, *Stephanium* ad Saxonem p. 107, *Camerarium* Hor. Succ. Centur. II, p. 273, *Cornelium van Bynkershoek* Lib. III, Observat. Jur. Rom. Cap. VIII, p. 250 sq. &c.

CAP. III. p. 472.

Bruttiani verberaverê.] Præter servilia alia *Bruttianorum* ministeria, quæ Gellius in hoc Capite memorat, eorum quoque erat ἡμεροδρομεῖν καὶ γραμματοφορεῖν, *cursores & tabellarios esse*; ut ait *Strabo* L. V, p. m. 385, qui locus facit, ut jam intelligere mihi videar illud *Fulgentii* de Prisco Sermone, num. 51, *Congerones* (ita legendum pro eo quod vulgo editum est, *Congerrones*) *qui aliena ad se congregant. Unde apud Romanos Gerones Bruttiani dicti sunt.*

R 4 CAP.

CAP. VIII.

in lemmate, p. 476.

Hujuſcemodi Caſtigationis] Fruſtra adeo eſt *Baldus*, fruſtra *Alciatus*, fruſtra alii, qui *Caſtigationem* locum habere contendunt in levibus delictis, quæ corpus non tangant. Addo inſuper teſtimonium *Modeſtini* in l. deſertorem ff. de re militari: *Pœnæ militum hujusmodi ſunt*, *Caſtigatio* ——. Conf. *Frontin.* Strateg. IV, 1, 9, & *Juſtin.* XII, 11, 7.

CAP. X, p. 478.

Veteres Græcos annulum -] Rationem, quam Noſter addit, cur veteres & Græci & Romani annulum in eo digito geſtaverint, qui eſt in manu ſiniſtra minimo proximus, *Gronovius* ineptam pronuntiat, ſequutus, ut videtur, *Hermannum Conringium*, qui Lib. I. de Hermet. Medic. Cap. 10, *Riſum*, inquit, *eam doctrinam potius mereri quam confutationem*, *vel tironibus rei anatomicæ eſt notum*. Sed audiat uterque virum, qui profecto ſupra vulgus Anatómicum ſapere exiſtimatus eſt, *de la Cambre*, Regis Chriſtianiſſimi Medicum; qui in *Diſcurſ. de Principiis Chiromant.* variis argumentis oſtendit, majorem huic, de quo diximus, digîto ſympathiam cum corde intercedere quam reliquis, atque *hunc unum in Chiragricis ultimò affligi*. Conf. Celeb. noſtri *Olai*

Olai Borrichii Hermetis Sapientiam ab H. Conringii animadverſionibus vindicatam, in Præfatione, & Cap. V, §. IV, p. 142. Aliter quàm *Gellius* noſter ſive *Apion* apud Gellium, item *Macrobius* L. VII. Sat. c. 13, & *Iſidorus* Lib. XIX. Orig. Cap. 32, aliter, inquam, de cauſa, cur quartus ille a pollice ſiniſtro digitus honore annuli decoretur, exiſtimat Auctor Libri, editi Pariſ. 1655, 12 *de la Chyromantie*, Part. I, pag. 28, Artic. XIV, quia nimirum *doigt du Soleil*, *digitus Solis eſt* - - - —.

CAP. XV, p. 484.

Equo Dialem Flaminem vehi religio eſt,] Quæ *Gronovius* ad hunc locum affert, deſumta videntur ex *Fruterii* Libro III. Veriſ. Cap. XI, p. m. 370. Adde *Feſto* firmamentum ex *Servio*, qui Flamini Diali *in provinciam ire, aut abeſſe a finibus Italiæ* non licuiſſe tradit, (ad Virgil. Æn. VIII, vs. 552, p. m. 920) at, ſi in provinciam ire conceſſum fuiſſet, utique equo ſine religione vehi licuiſſe. Nequid dicam de teſtimonio illo *Livii* V, 52, *Flamini diali noctem unam manere extra urbem nefas eſt*. Pariter neque *Pontifici* equo vehi licebat, ſed curru, ut idem *Servius* l. c. perhibet, neque *Dictatori*, injuſſu populi, ut *Livius* docet Lib. XXIII, Cap. 14, & poſt eum *Plutarchus* in Fabio pag. 175.

Ibid.

Jurare Dialem fas nunquam est,] Quæ caussa est, quamobrem C. *Valerius Flaccus jurare in leges non poterat*, --- *datus*, *qui juraret pro fratre L. Valerius*, ut tradit *Livius* Lib. XXXI, Cap. 50.

Ibid. p. 485.

---- *Eo die verberari piaculum est*] Pariter si reo, qui ad supplicium ducebatur, obvia fieret virgo vestalis, jam supplicio is eximebatur. v. *Plutarch.* in Numa p. 66.

Ibid.

Capillum Dialis ----- *detonset*] *Tondebatur* autem *flamen dialis cultris æreis*, ut auctor est *Servius* ad Æneid. I, vs. 452, p. m. 376. Conf. *Alexand.* D. Gen. VI, 12.

Ibid.

Unguium Dialis & capilli segmina subter arborem felicem terrâ operiuntur, sicuti contra Vestalium capilli suspendebantur, uti ex *Festo* discimus: Capillatam *vel* Capillarem *arborem dicebant*, *in qua capillum tonsum suspendebant* Virgines Vestales. Hanc autem arborem *Loton* fuisse, atque *Capillatam* dictam, *quoniam Vestalium Virginum Capillus ad eam deferebatur*,

tur, docet *Plinius* L. XVI H. Nat. Cap. 44, p. m. 197. De cetero *arbores felices* dictas esse, quæ in Superorum tutela erant, *quercum*, *æsculum*, *ilicem*, *fagum*, *corylum*, *sorbum*, *ficum albam*, *pirum*, *malum*, *vitim*, *prunum*, *cornum*, *lotum*, constat ex *Macrobio*, cujus locum interpretes Gellii jam indicârunt.

Ibid. p. 486.

Dialis cotidie festatus est.] Locus extra omnem fere emendationis aleam positus. Veteres lectiones Codicum sunt, *Gronovio* teste, *sertatus*, *fertatus* aut *fertantus*, ex quibus siqua vera est, verisimiliorem mihi videri, *sertatus*, non diffiteor.

Ibid.

Farinam fermento imbutam attingere flamini *fas non est*] quam religionem ex azymis festi Paschalis judaici ad sacra Romanorum pervenisse ut credam, facile ab *Huetio* (Demonstrat. p. m. 272) me adduci patior. nam quæ *Plutarchus* & cum eo enarratores Gellii ad h. l. differunt, quæsita magis quam vera videntur.

Ibid.

Super flaminem Dialem in convivio, nisi rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbit,] In-

Insignis in hanc rem est locus *Festi* in v. Ordo: *Ordo sacerdotum æstimatur Deorum majestate, ut maximus quisque. Maximus videtur Rex, deinde Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto Pontifex Maximus. Itaque in conviviis solus Rex supra omnes accubat, sed Dialis supra Martialem & Quirinalem, Martialis supra proximum, omnes dein supra Pontificem:* —— Fallitur itaque *Gronovius*, qui ad loc. Gellii cit. Regem sacrificulum Pontifici cedere nimiò confidenter affirmat.

Ibid.

Uxorem si amisit Flamen dialis, *flaminio decedit.*] Emenda hinc *Priscianum*, qui hoc fragmentum ex *Trogo* affert Lib. V, p. m. 124, *Papicio propter mortem Flamineæ, flaminio obiit.* lege, *Papirius propter mortem Flaminicæ flaminio abiit.* Conf. *Liv.* XXVI, 23 & *Val. Max.* I, 1, 4. Ceterum *Flamines & Flaminicæ non nisi semel nubebant*, uti *Tertullianus* docet de *Monogamia* Cap. XVII, p. m. 688. Conf. Lib. I. ad Uxorem, Cap. VII, p. 186 de *Pontifice Maximo*, itidem monogamo.

Ibid. p. 488.

Scalas ---- escendere ei (Flaminicæ) *plus tribus gradibus religiosum est.*] subit hic, quod DEUS per *Mosem* vetat Exod. XX, 26,

Non

Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.

Ibid.

Quum it ad Argeos,] *Gronovius* ad hunc locum varia sed perplexa auctorum testimonia affert, adeoque lectorem incertum dimittit. Omnium diligentissime super *Argeis*, sive *Argæis* differit *Philippus Beroaldus*, quem vide sis Annotat. Syllog. II, p. 231, Tom. I. Thesaur. Gruter.

Ibid.

Album habet galerum] Emenda *Isidorum* Lib. XIX Orig. Cap. 30, GALERIUM, *pileum ex pelle cæsæ hostiæ factum.* Item paulo superius ibid. *Gentilium vates infula, apice, pileo sive galerio utebantur.* Lege *Galerum*, & *galero*; nam veteres *κιδιτέρως galerum* dixisse notum est.

CAP. XVIII, p. 493.

Artemisia Mausolum - -] Fallitur *Oliverius* in Notis ad Valerium Max. p. m. 395, (cujus errorem Lexicon Fabro-Cellarianum sequitur) qui Artemisiam nostram, Hecatomni filiam, cum incluta illa Halicarnassi regina, Lydamidis filia, confundit, de qua sæpiuscule meminit *Herodotus* (Lib: VIII, pag. m. 561-

561-571-575) item *Pausanias* (in Laconicis L. III, p. m. 179) nec non *Suidas* p. 142. Alia porro est *Artemisia*, Philosopha, Diodori Croni filia, de qua *Menagius* in Historia Mulier. Philosoph. §. LX, p. m. 496.

Ibid. p. 494.

Mausoli - sepulcrum illud memoratissimum] Cujus figuram nuper spectandam exhibuit vir Nobilissimus *Jo. Bernhardus Fischerus ab Erlachen* in specimine Architecturæ Historicæ, edito Viennæ A. 1721, Tab. VI. *Vitruvii*, *Plinii*, *Strabonis* & *Herodoti* lineas sequutus.

CAP. XXIII, p. 504.

M. Cato non solum existimatas, sed multatas quoque a judice --] *existimatas*, h. e, reprehensas, sc. convitiô aut sermone. Conf. *Vorstii* Lat. select. P. I. Cap. 6, p. m. 219. Adde *Suetonium*, qui *existimationem*, pro sinistro judicio sive reprehensione dixit in Tiberio Cap. 58. *Paulatim hoc genus calumniæ eò processit, ut capitale esset, dictum ullum factumve ejus existimatione aliquâ læsisse.* Quò accedit illud *Nazarii* in Panegyr. Constant. Cap. V, princ. *Existimare quidem de Principibus nemini fas est.* Perperam adeo *Briosius* Gellii nostri sive potius Catonis *existimatas*, (quas Gallicè vertit *notées*, *deshonorées*) ad singularia Gelliana refert.

Ibid.

Ibid. p. 505.

Imperium, quod videtur, habet,] Hæc verba *Catonis* me non assequi fateor. Legendum suspicor, *imperium, quoad vivitur* (in matrimonio) *habet* Vir.

Ibid.

Illa te, si adulterares,] Expunge illud, *si adulterares*; quod ex margine glossatoris librariorum culpâ in textum irrepsisse rectè *Thysius* conjecit. Fidem faciunt vetustissimæ editiones, quæ sic includunt: *illa te (si adulterares)*

CAP. XXIV, p. 507.

Ex Origine M. Catonis] forte *ex Origine IV Catonis*. Vid. Gell. II, 19, extr.

Ibid. p. 508.

Sacerdotes - quum condicunt in diem tertium, diem perendini dicunt.] Atque hoc significat nota illa apud *Valerium Probum* pag. m. 1476, I. D. T. S. P. *in diem tertium, sive perendini*. De verbo *Condicere*, pro *denunciare*, vide *Festum* & *Serv.* ad Æneid. III, vs. 117, p. m. 510.

CAP. XXV, p. 509.

Clunaculæ,] ita habet editio *Jac. Gronovii*, forte

forte vitiô librarii. lege *Clunacula*, uti probè monet *Turnebus* L. XIX. Adverſ. C. 32. Emenda porro *Iſidorum* Lib: XVIII. Orig. Cap. 6. Clunaculum (vulgo male *Clunabulum*) *dictum, quod religetur ad clunem.*

CAP. XXVII, p. 513.

Duas teſſerulas, in quarum altera caduceum, in altera haſtæ ſimulacra fuerunt inciſa.] Apponere hic lubet, quod *Pignorius* in Libro *de Servis* p. 155 ſq. ſcriptum reliquit: *Teſſeræ cujus figuræ eſſent, ſatis indicat nomen. Materia earum liguſtrum fuit, ut aſſerit* Plinius Lib: XVI, Cap. 18. *Ego eburneas vidi non paucas: & ejusmodi unica apud me eſt, cujus hic exemplum appoſui,*





ut uſum Teſſerarum aliquem conſtituere poſſimus. —— *Et nunc demum intelligemus, quod eſt apud* Gellium *de Q. Fabii epiſtola ad Carthaginienſes miſſa,* —

* * *

LIB.

LIB. XI. CAP. II.

p. 518.

Cupidus, elegans, vitiofus,] Qui alias hic lectiones comminifcuntur, meminerint, non aliter legi apud *Nonium* Cap. VI, n. 98.

Ibid. p. 519.

Veftiri in foro honeftè mos erat,] Unde *Cicero* de Fin. II, p. m. 64, *Ut veftitum, fic fententiam habeas aliam domefticam, forenfem aliam.* Contrà quam de *Hunnis* tradit *Ammianus* Lib: XXXI, p. m. 548, *Nec alia illis domeftica veftis eft, alia forenfis.* Adde quod de *Al. Severo* narrant *Lampridius* Cap. 42, *judices cum promoveret, exemplô veterum & argento & neceffariis inftruebat; ita ut præfides provinciarum acciperent ----- veftes forenfes binas, domefticas fingulas.*

Ibid.

Equos carius quam coquos emebant veteres Romani.] Quam in rem illuftris eft locus *Livii* Lib. XXXIX, c. 6. *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Afiatico invecta in urbem eft. --- tum coquus, viliffimum antiquis mancipium, & æftimatione & ufu, in pretio effe: & quod minifterium fuerat, ars haberi cœpta.*

Sicuti apud Græcos, (præterquam *Lacedæmonios*, de quibus vide fis *Ælianum* H. V. XIV, 7) quibus ars coquinaria censebatur disciplina liberalis, uti pluribus locis testatur *Athenæus*, Libro nempe XIV, Cap. XXII, p. 658, 659, & Cap. XXIII, p. 660 sq. Atque coquorum quidem apud Romanos pretium & copiam jam salse perstrinxit *Seneca* Epist. CXIV, sub fin. item ex Græcis *Theopompus* apud laudatum *Athenæum* Lib. VI, extr. p. m. 275. Quod quidem pretium primus imminuisse mihi videtur *Alexander Severus*, qui *coquos non nisi servos suos habuit*, ut auctor est *Lampridius* Cap. 42.

Ibid.

Poëticæ artis honos non erat] Vide sis *Ideam* meam *Historiæ Litter.* vet. Rom. Lib. III, Cap. III, Quæst. III, p. 272 sq.

Ibid.

Si qui in ea re studebat,] Verba sunt *Catonis*, non, ut Lexicon Fabro-Cellarianum tradit, *Gellii*. Affine huic est illud *Petronii* Sat. p. m. 193, *In argento planè studiosus sum*, i, e, studeo argento, uti *Schefferus* exponit. Pariter Græci φιλοπονεῖν ἔν τινι dicunt. Vide *Goldastum* ad Hadriani Rescripta, num. 140, p. m. 549, Vol. XII. Biblioth. Græc. Fabric.

Ibid.

Ibid.

Rubigo interficit ferrum] sic *inanimata interfici* & *occidi* veteres non raro dixerunt. Testimonia ex *Plauto*, *Lucilio*, *Virgilio*, *Salluſtio* & *Cicerone* habes apud *Nonium* VI, 9. quod in gratiam Lexici Fabro-Cellariani monere viſum eſt.

Ibid.

Torpedo plus detrimenti facit, quàm exercitio] Antiquiſſima editio Veneta A. 1472, aliæque habent *exercitatio*. Retine vulgatum, *exercitio*, quod vocabulum & probum eſt, & ab *exercitatione* diverſum, ut *Feſtus* docet: Exercitionem *exerciti* (ſc. in laboribus) *dicebant antiqui*: Exercitationem *exercitati*, ſc. in ſtudiis.

CAP. IV. p. 521.

Verſus Enniani hi ſunt: - -] Egregiè pro more ſuo ſuper his verſibus diſſerit *H. Stephanus* in *Comicorum Græcorum Sententiis*, (quas edidit Anno 1569) pag. 347 ſq. ubi interpretationem Gallicam a ſe factam memorat, quæ eſt hujusmodi.

Si du poure & du riche un meſme mot tu ois,
En ton endroit pourtant il n'eſt de meſme poids.

CAP. VII, p. 526.

Idque apud Cæcilium in Polumenis legerat,] Locus *Cæcilii* exſtat apud *Nonium* Cap. II, num. 354,

> *Ego neque florem neque floces volo mihi, vinum volo.*

Emenda autem *Nonium*, in quo editur *Cæcilius Adpol.* ſive *ad Pol.* retine vulgatum titulum comœdiæ Cæcilii, *in Polumenis*; quam nimirum poëta e *Menandro* convertit, cujus Comœdiam Πωλύμενοι inſcriptam, citari memini ab *Athenæo* Lib: VI, Cap. 12, p. 248, atque aliis; ut proinde fruſtra Critici de hoc titulo diſceptent. Adde quod verſus Cæcilianus, quem ex *Nonio* adduxi, titulum, *Polumeni*, tacitè approbare videtur, quaſi in tabernam, ubi vinum venditur, factus.

CAP. VIII, p. 526.

A. Albinum] Hunc *Albinum* ne, exemplô *Gesneri*, confundas vel cum Juniore illo *Albino*, cujus tres verſus ex Libro I. Rer. Rom. citat *Priſcianus* Lib: VII, p. 741, vel cum aliis *Albinis*, inſpice, quæſo, Celeb. *Fabricii* Biblioth. Græc. Lib: III, Cap. 2, p. 43, & *Jo. Mölleri* Homonymoſc. Cap. IV, §. 3. 353 ſq.

CAP.

CAP. IX, p. 527. sq.

Demosthenem lanâ multâ collum cervicesque circumvolutum] More poëtæ apud *Martialem* L. VI. Epigr. 41, *qui recitat lanâ fauces & colla revinctus:* aut *Stephani*, qui cædem Domitiani moliebatur, *finisteriore brachio velut ægro lanis fasciisque per aliquot dies ad avertendam suspicionem obvoluto*, ut *Suetonius* tradit in Domit. c. 17, ubi vide sis *Casaubonum* p. m. 691.

p. 528.

Tum e populo unum exclamasse,] Quis ille *unus e populo* fuerit, indicat *Jul. Pollux* Onomast. L. VII, Cap. 24. Ἀργυράγχη, ὡς Δημάδης σκώπτων Δημοσθένη, συνάγχῃ λέγοντα εἰλῆφθαι, i, e, interprete *Rod. Gualtherô*, p. m. 335, *Argentangina, ut Demades Demosthenem scommate elusit, anginâ se teneri dicentem.*

CAP. XV. p. 534.

Laberius in lacu Averno] Fragmentum aliud ex hac comœdia affert *Nonius* Cap. II, n. 171, ubi notandus est error editionis Mercerianæ, in qua est, *Laberius Lacubalerna*, pro, *lacu Averno.*

Ibid. p. 535.

Populabundus agros ad oppidum pervenit.] Hunc *Sisennæ* locum paulo aliter refert *Nonius*

nius Cap. VII, n. 26. *Protinus agros populabundus ad Numeriam convertit.*

CAP. XVI. p. 537.

Rerum cujuſcemodi plurimarum] ita Stephanus, ita Gronovius, aliique complures. Mihi aut retinendum videtur, quod veteres editiones tradunt, *ejuſcemodi*, aut certè legendum, *cujusquemodi.*

CAP. XVIII. p. 541.

Qui de moribus legibusque eorum (Lacædemoniorum) *memorias condiderunt*,] Hi ſunt ex antiquioribus *Terpander*, *Dioſcorides*, *Sphærus*, *Ariſtocrates*, *Heraclides*, *Hippaſus*, *Hellanicus*, *Sæus*, *Critias*, *Molpis*, *Ariſtocles*, *Perſeus*, *Broxenus*, quorum monumenta ætatem non tulerunt: ex recentioribus *Nicolaus* noſter *Cragius*, *Joannes Meurſius*, & *Guilleterius.*

Ibid.

Apud Lacedæmonios - - jus atque uſum fuiſſe furandi dicunt,] ſed eâ lege, ut, qui furto prenſus eſſet, verberibus cæderetur, quod minus ſolers videbatur, ut *Plutarchus* docet in Lycurgo p. 50. Conf. *Sext. Empiric.* L. III, Cap. 24, § 215, p. m. 181, *Heraclid.* Polit. p. m. 979, & *Crag.* de Rep. Laced. p. 181 ſq.

Ibid.

Ibid.

Fures privatorum furtorum —] Quod ita reddit *Seneca* Epist. 87. *Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.* Atque huc referri potest dictum *Diogenis*, qui, *cum videret quemdam ex ærario phialam furatum a magistratu ad supplicium duci*, Οἱ μεγάλοι, ἔφη, κλέπται τὸν μικρὸν ἄγουσι. v. *Laërt.* Lib. VI, §. 45, p. m. 337.

Ibid. p. 542.

Solà mente atque animo, ut furtum fiat, annitente.] Quam in rem legi merentur, quæ doctissimus *Bynkershoekius* scitè disserit Lib. III. Observat. Jur. Rom. Cap. 10, *Solus animus quemadmodum æstimetur in criminibus*; ubi locus Gellii quoque perpenditur, p. m. 257.

* * *

LIB. XII. CAP. I.

p. 543.

N*Ihil dubito, quin mater filium lacte suo nutritura sit,*] Quod hic *Favorinus* philosophus suadet, id vero in antiquis *Inscriptionibus* prædicari & laudi duci video. Sic legas apud *Gruterum* Pag. DCXVII, n. 6.

GRATIÆ. ALEXANDRIÆ. COIVGI. DVLCISS.
INSIGNIS. PVDICITIÆ. ET. RARI. EXEMPLI.
QVÆ. FIL. SVOS. PROPRIS. UBERIB. EDVCAVIT.

Conf. n. 8, ibid.

Ibid. p. 545.

— *Lactis quoque ingenia & proprietates valere.*] quo factum puto, ut apud veteres Romanos *suus cuique filius non in cella emtæ nutricis sed gremio ac sinu matris educaretur*, ut ait auctor Dialogi de Orat. XXVIII, 5. Ceterum, si audiendus est *Joannes Matth.* Quæst. Med. XVI, *Ratio illa, mores nutricum cum lacte ingenerari, nulla est: falsa illa sollicitudo est: alimentum enim ingenium non mutat.* Conf. *Pufendorf* Lib. VI. de J. N. & G. Cap. II, §. V, p. m. 910.

Ibid. p. 546.

Externæ atque barbaræ nationis nutrix] Romani nimirum nutrices ex Græcia plerumque vel certè Græcis moribus institutas accire solebant: quam ob causam *Auctor Dialogi de Orat.* Cap. XXIX, princ. indignabundus, *At nunc*, inquit, *natus infans delegatur Græculæ*

culæ alicui ancillæ. Sicuti & *Plutarchus* τοῖς ἤθεσι ἑλληνίδας commendat in libro περὶ Παίδων ἀγωγῆς, Cap. IV.

Ibid. p. 547.

Amandati ad nutricem aliam filii] *amandati*, eleganter, si ratio habenda est distinctionis *Servii* ad Æneid. III, 50, p. m. 499. Mandarat *est amoris*: Amandaret *vero odii est*: *&* Amandare, *est*, *sub specie legationis aliquem relegare*.

CAP. II, p. 548.

Flos delibatus populi - -] Ego non dubito, poëtam *Ennium* scripsisse, *flos delibutus* - - - quod propius ad rem accedere videtur, quam vel *delibatus*, vel, quod nuper *Isaacus Verburgius* ad Ciceronis Brutum Cap. XV, reponendum conjecit, *delibratus*.

Ibid. p. 550.

Dignus Seneca videatur lectione ac studio adolescentium,] Quod *Gellius* h, l, de *Seneca* existimat, idem fere de eodem legas apud *Quintilianum* Lib: X, Cap. 1. *Tum solus fere Seneca in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam*, - - - - - &c. Tacco de *Caligula*, qui Senecam

arenam sive calce pronuntiat apud *Suetonium* Cap. LIII. Taceo de recentiorum Criticorum dissidiis circa Senecam, quorum conspectum Celeb. noster *Lintrupius* in Præfat. ad *Suaningii* Theologiam Senecæ Naturalem reliquit.

CAP. III, p. 550.

Valgius Rufus in secundo librorum, quos inscripsit, de rebus per epistolam quæsitis,] De hoc *Valgio* vide sis, quæ dixi in *Memoriis Obscuris* Part. I, p. 117 sq. Inscriptionem, de *Rebus per Epistolam quæsitis*, imitatus est *Aldus Manutius*, Aldi filius, in Libris III. *de Quæsitis per Epistolam*, uti ipsemet fatetur Lib: I, p. m. 227; & novissimè *Christoph. Aug. Heumannus*, qui Epistolas suas Miscellaneas sive *Pæcilem* ad exemplum *Valgii Rufi* composuit, quod ipsemet in Præfatione Tomi I. Lib: I. testatur. Sed & Clarissimum *Jo. Drusium*, Academiæ Franekeranæ quondam lumen, edidisse Epistolarum librum, cui nome *de Quæsitis per Epistolam*, video ex Celeb. *Jo. Buxtorfii* Epistolar. Institut. Hebr. Cap. VII, p. 67.

CAP. V. p. 559.

Quum vulnera ejus a medicis exsecabantur, ridere solitus fuit gladiator Cæsaris] *Medici* dicuntur h. l. Chirurgi, ut rectè monuerunt Interpretes. Hos *Plinius* itidem *Medicos vul-*

ne-

nerum vocat L. XXIX, 1; atque in Inscriptionibus sæpius legas, MEDICUS CHIRURGUS. V. *Gruter*. Pag. CCCXXXV, n. 1, & CCCC, n. 7, nec non *Manutii* Orthogr. pag. 243. Deinde pro *exsecabantur*, alii legunt, *exsiccabantur*. Mihi vero certior est prior lectio, tum quod codicum antiquissimorum auctoritate nititur, tum quod locô illò *Senecæ* Epist. LXXVIII. mihi confirmatur: *Ille, qui dum varices exsecandas præberet, legere librum perseveravit.* Denique nota satis est *gladiatorum* veterum in doloribus contemnendis constantia, vel ex testimonio illo *Ciceronis* L. II. Tusc. Qv. p. m. 142. *Gladiatores quas plagas perferunt?* —— *Quis mediocris gladiator ingemuit? Quis vultum mutavit unquam?* &c. Confer *Senec.* de Tr. An. Cap. XI, & *Diogenem*, qui rogatus, cur ἀθληταὶ ἀναίσθητοί εἰσιν; respondit, ὅτι κρέασιν ὑείοις καὶ βοείοις ἀνῳκοδόμηνται, *quia suillis ac bubulis carnibus exstructi sunt*, ut est apud *Laërtium* Lib: VI, §. 49, p. m. 339.

CAP. IX. p. 564.

Injuriam — alteri tradunt,] Sic *molestiam tradere*, dixit *Cornelia*, mater Gracchorum, in Epistola apud *Nepotem*, p. m. 397.

CAP. XI. p. 567.

Veritatem Temporis filiam] sicuti ὁ χρόνος

σοφώτατον ἁπάντων dicitur *Thaleti* apud *Laërtium* I, 35, ἀνευρίσκει γὰρ πάντα.

CAP. XII, p. 568.

Ἀκοινονόητοι] *Trillerus* meus significat, se malle ἄγαν ἀνόητοι, *valde imprudentes*. ἐκ ἀνοήτως. Sed ut nihil amico blandiar, fateor, mihi placere receptum ἀκοινώνητοι, quod tum vetustissimæ editiones constanter fere servant, tum *Cicero* alio quoque in loco dictat, nempe Lib: VI. ad Atticum, Epist. 3. *Nullas unquam ad me litteras misit Brutus, in quibus non inesset arrogans*, ἀκοινώνητον *aliquid*.

CAP. XV. p. 573.

Vellicatim] ita *Nonius* quoque legit Cap. II, n. 911.

Ibid.

Continentia] i, e, continuo ordine.

* * *

LIB. XIII. CAP. II.

p. 577.

T*Ragœdiam, cui* Atreus *nomen* est] de quo titulo jam dixi in *Memoriis Obscuris* Part. I, p. 72, 73.

CAP.

CAP. III, p. 578.

In quo de P. Africano Pauli filio ita ſcriptum eſt: - -] Quò pertinet, quod de eodem *P. Africano* refert *Frontinus* Strategem. IV, 7, 4, eum, *cum quidam parum pugnacem dicerent*, dixiſſe; *Imperatorem me mater, non bellatorem genuit.*

Ibid.

Nimis bonum imperatorem ſignis collatis non decertare, niſi - -] Præter varias lectiones, quas *Gronovius* aliique commonſtrarunt, vetuſta quædam editio Veneta habet, *pro non nimis b. i. ſ. c. d. n.* Quod monere viſum eſt, quanquam nihil extricare queo. De cetero, memoratum *L. Æmilii* dictum reſpicere videtur *Vegetius* Lib: III. de Re Mil. Cap. XXVI. de Regulis bellorum generalibus: *Boni duces publico certamine nunquam niſi ex occaſione aut nimia neceſſitate confligunt.*

CAP. IV. p. 579.

Olympias ei, Alexandro, *reſcripſit ad hanc ſententiam: - -*] Quæ ſequuntur ab Olympiade reſcripta, ea a Græculo quodam conficta ſuſpicatur *Phil. Carolus* p. 478. ſed ignoravit, ut puto, vir Clariſſimus, eadem ferè tradi apud *Plutarchum* in vita Alexandri p. 665. Aliam Olympiadis ad Alexandrum epi-

epiſtolam memorat *Athenæus*, quem vide Lib: XIV; Cap. XXII, p. 659, ſq.

CAP. VI, p. 582.

Ruſticus fit ſermo, ſi adſpires perperam] Dolendum, periiſſe commentarios *Fortunatiani*, quos *ruſticô ſermone* conſcriptos teſtatur *Hieronymus* de Viris Ill. Cap. XCVII, p. m. 185. Quod ſi vitam & vires DEUS conceſſerit, de *Ruſtica Lingua Latina* ſingularum libellum conſcribere propoſui.

Ibid.

Id vocabulum, quod dicitur vulgo Barbarismus, *qui ante divi Auguſti ætatem purè atque integrè loquuti ſunt, an dixerint, nondum equidem inveni.*] Objici hic a Criticis ſolet teſtimonium *Auctoris ad Herennium* Lib: IV, c. 12, Barbariſmus *eſt, quum verbum aliquod vitioſè effertur.* Ego vero ex verbis Gellii haud obſcurè auguror, Libros Rhetoricorum ad Herennium ante ætatem Auguſti ſcriptos non fuiſſe, neque *Ciceronis*, *Cornificii* aut æqualium eſſe, ſed recentioris cujuſpiam ſcriptoris, ut nonnulli autumant. Quinimo ſi vel maxime *Cicero* auctor fuerit, culpa tamen Gellius omnino vacat, qui auctoritatem ſe nondum inveniſſe modeſtè atque ingenuè fatetur.

CAP.

CAP. VIII, p. 584.

Afranius ſapientiam *filiam eſſe Uſus & Memoriæ dixit.*] Sic *Plutarchus* περὶ Παιδ. ἀγωγ. Cap. XII. Καὶ διὰ τοῦτο μητέρα τῶν Μουσῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν Μνημοσύνην - - - Conf. *Athenæus* Lib: XI. Cap. XV, p. m. 503 de *Phiala*, qua *Plutarchus* ταῖς Μούσαις καὶ τῇ τούτων Μνημοσύνῃ μητρὶ libavit.

Ibid. p. 585.

Quem verſum *Macedo ſcribi debere cenſebat pro foribus omnium templorum.*] Cujusmodi ornamentis fores templorum decorari mos fuit, ut *Cicero* quoque docet pro Archia Cap. XI, *Brutus Attii amiciſſimi ſui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit ſuorum.* Neque vero verſibus tantum, ſed & Hiſtoriis, uti ex *Servio* diſcitur ad Virgil. Æneid. I, 509, *Magno ſtudio & labore templorum fores fiebant, quas quibusdam inſignibant hiſtoriis, ut - - -.*

Ibid.

Indignius neque intolerantius] pro *intolerabilius*. Atque ita non *Lævius* modò locutus eſt, teſte Noſtrô XIX, 7, ſed & *Tacitus* Annal. III, 45, 4, *Quantò intolerantior ſervitus iterum victis.* Item XI, 10, 5, *Ingens gloria atque eo ferocior*, & *ſubjectis intolerantior.*

tior. Quæ loca jam quondam in gratiam Lexici Fabro-Cellariani in *Supplemento* meo *L. Latinæ* p. 189 indicavi. Superaddo teſtimonium *Flori* IV, 12, 36, ubi quidam pro *intolerantius*, malè legunt *intolerabilius*. Taceo de *Iac. Moſ. Brioſio*, qui apud Gellium loc. cit. corruptè legit *intoleratius*, ſi vitium *Brioſii* eſt, non librarii.

Ibid.

Intercutibus ipſi philoſophi *vitiis madentes*.] Sic *Cato* apud *Priſcianum* Lib: VI, p. m. 207, *intercutibus ſtupris obſtinatus*, dixit, pro *inteſtinis*, quem Noſter procul dubio imitatur; ut proinde Gellianismum fruſtra obſervare ſibi viſus ſit *Brioſius*.

CAP. XI, p. 588.

NESCIS. QUID. VESPER. SERUS. VEHAT.] Antiquiſſimus hujus Proverbii auctor jam ante *Varronem* eſt *Salomon* Proverb. XXVII, 1. Μὴ καυχῶ τὰ εἰς ἄυριον, ὐ γὰρ γινώσκεις, τί τέξεται ἡ ἐπιῦσα, ſive, ut *Aquila*, *Symmachus* & *Theodotio* reddunt, ἡμέρα.

CAP. XII. p. 591.

Agitabat hominem, Labeonem, *libertas quædam nimia atque vecors*.] Hinc factum in gratiam Auguſti, uti rectè *Torrentius* divinavit, pro-

proverbium ab *Horatio* I, Sat. III, 82, *Labeone insanior*. Conf. *Sueton.* in Augusto Cap. 54, & *Heinecc.* Ant. Jurispr. Rom. L. I, Tit. II, §. 39.

CAP. XIII. p. 594.

Quum ex angulis - -] *Anguli* hic significant *Scholas umbratiles*, uti & apud *Ciceronem* Lib: I. de Orat. Cap. 13, *Ut de his rebus omnibus in angulis, consumendi otii causa, disserant.*

CAP. XIV, p. 595.

Qui libros de auspiciis scripserunt,] Vide de his, quae diximus in *Memoriis Obscuris* Part. III, p. 179.

Ibid. p. 596.

In Elidis grammatici veteris commentario] Obscurum in Historia Romana nomen, *Elis*, quod frustra, ut opinor, alibi quaeras, praeterquam apud *Gruterum* Inscript. Pag. DCXXXVI, n. 3, de femina:

C. CORNELIUS.

MELIBOEUS. SIBI.

ET. SENTIÆ. ELIDI. - -

CAP. XV, p. 597.

De Cælo servasse] est, Cœlum observasse. Phrasis auguria. Sic *Cicero* Lib: II. de Divinat. p. m. 289, *jam vero de cœlo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur?* Conf. *Stat.* Theb. VI, 932 & VIII, 194, atque Scholiast. ibid. item *Lucan.* V, 395, & *Strab.*, qui διοσημεία vocat Lib: XVII, p. m. 1168.

CAP. XVII. p. 600.

Erucius Clarus] de quo vide sis *Memorias* nostras *Obscuras* Part. II, p. 144. Conf. *Grut.* Inscript. Pag. CCIX, 1, vs. 5, & Variorum Corrigenda ib. p. CCCXXIV.

CAP. XVIII, p. 602.

Φυλετίδες, tragœdia Sophoclis,] Retine inter varias lectiones antiquissimam, Φιλοκτήτης, quam fabulam *Sophoclis* deperditam *Priscianus* Lib: XVIII, p. m. 1169 & *Hesychius* Ζωλῷ memorant.

CAP. XIX, lemm.

De genere atque nominibus familiæ Porciæ.] Ne quis diu cum ipsis etiam veteribus Romanis inter *Catones*, quos *Gellius* memorat, erret, brevi hac tabulâ propaginem Catonianam complecti visum est.

M.

M. PORCIUS CATO CENSORIUS.

M. CATO.	CATO SALONIANUS.
Filius Catonis Major.	Filius Catonis minor, de quo lege cumprimis *Plutarchum* in Catone p. 350 sq.
M. CATO NEPOS.	L. CATO.
	M. CATO.

CATO UTICENSIS.

Filius M. Catonis Saloniani,
Pronepos Catonis Censorii.

CAP. XX, p. 607.

Rectosque cupressos] Fallitur itaque *Priscianus*, qui femininum, *hæc Cupressus*, tantum agnoscit Lib: VI, p. m. 205.

CAP. XXI, p. 609.

In mores atque litteras spectatus a divo Hadriano Castricius] Id est, ut opinor, *morum atque litterarum magister electus:* sicuti apud *Plinium* Jun. me legere memini IV, 13, 11. *Rogo, ut ex copia studiosorum - - circumspicias praeceptores*, &c. De *Castricio* jam dixi in *Memoriis Obscuris* Part. II, p. 138.

Ibid.

Discipulos quosdam suos senatores] Quam equidem constructionem, *discipulos senatores*, non in *sensu diviso*, ut loquuntur philosophi, sed in *composito* accipio. Nimirum etiam Praetores, senatores, equites aliique hujusmodi Patricii ἀκροάσεις Rhetorum obire solebant, ut in multis nos *Suetonius* docet Cap. VII. de Ill. Gr. *Scholam ejus* (Gniphonis) *claros quoque viros frequentasse ajunt: in his M. Ciceronem, etiam cum praetura fungeretur.* Conf. *Macrob.* Lib. III. Sat. Cap. 12, & iterum *Sueton.* Lib. de Rhetor. Cap. I, de Consulibus *Hirtio* & *Pansa*, quos *Cicero discipulos & grandes praetextatos* vocare solebat. Taceo de ipso Gellio nostro, quem etiam centumvirali dignitate praeditum, Rhetorum auditionibus operam dedisse, nemo diligens Noctium Atticarum lector ignorat.

Ibid.

Ibid. p. 670.

Cui hoc M. Tullius pro turpi crimine objectavit.] Ubi Gronovius *M. Antonium* esse, quem Tullius criminatur, docet. Ego vero nihil hujusmodi, nullum habitum *soleatum* Antonio opprobrari memini, sed *Verri*, in quem verba *Ciceronis* sunt V, 33, *Stetit soleatus prætor Romanus, cum pallio purpureo* - - Atque hujusmodi quidem insolentis cultus exempla Clarissimi Romanorum *L. Sylla* & *P. Scipio* præbent apud *Valerium Max.* Lib. III, Cap. 6.

CAP. XXII. p. 612.

Ted' Anna Perenna - -] Lepidam hic referre lubet opinionem Celeberrimi *Huetii*, qui in Demonstrat. Ev. Proposit. IV, Cap. X, p. m. 252 singulas hic a Varrone nominatas deas unam esse, *Sephoram* Mosis uxorem, sibi persuadet, mihi non item.

Ibid. p. 614.

Servii Claudii] de quo dixi in *Memoriis Obscuris* P. I, p. 105.

CAP. XXIII, p. 615.

M. Cato - -] Contrarium exemplum *Catoni* opponi potest *Archelaus* edificator apud

Ælianum H. Var XIV, 17, ubi vide *Kühnium.*

Ibid.

Pretiosus servus] ut puto, *Coquus*, luxuriæ minister. Conf. Lib. XI, 2, itidem ex *Catone.*

Ibid.

Si quid est, quod utar, utor —] ita locuti sunt veteres. Adde *Scævolæ* illud apud Nostrum VII, 15. *Quod cui servandum datum est, si id usus est*, —— Conf. *Nonium* Cap. VII, n. 112 ex *Titinnio*, *Novio* & *Lucilio*; quos etiam suo tempore imitatum video *Isidorum* Lib. XIX. Orig. Cap I, *Quales scaphas utuntur Germanorum piratæ.*

CAP. XXVI. p. 624.

Quasi ferrumine immisso] *Trillerus* meus aptius legi judicat, *immisto.*

CAP. XXVII, p. 625.

Qui pancratiæ vocantur,] Malim *pancratæ*, quod sermo Græcus suadere videtur; aut, quod veterum editionum quædam tradunt, *pancratiastæ*; quem titulum Comœdiæ suæ, Παγκρατιαστῇ, fecit Poëta *Alexis*, ut docet *Athenæus* Lib. VI, Cap. IX, p. m. 242.

CAP.

CAP. XXVIII, p. 625.

Nobis ei (M. Frontoni) — *assidentibus*,] Malim *assistentibus*, sicuti Lib. II, Cap. 2. *Taurus sedebat pro cubiculi sui foribus, & cum assistentibus nobis sermocinabatur.* Item Lib. VIII, lemm. 3. *Quam severè increpuerit Peregrinus philosophus adolescentem Romanum ex equestri familia stantem segnem apud se*, - - Conf. *Vigilia* nostra *Prima Noctium Ripensium* pag. 21, sq. Sed nihil muto.

Ibid. p. 626.

Longè longèque,] Editiones quædam vetustissimæ habent *longè lateque*, quod dissimulare nolumus. Atque hanc scripturam approbare videntur ii Codices, qui, ut *Gronovius* monet, habent, *longè atque*. Ego tamen præfero receptum *longè longeque*, quô *Gellius* noster iterum utitur Lib. XIV, Cap. I. *Longè atque longè per infinitum.* Conf. *Bentlejus* ad Horat. I, Sat. VI, 18.

CAP. XXIX, p. 627.

Tragœdia, quæ NIPTRA *inscribitur*, facta ex deperdita *Sophoclis* Νίπτρα. Vid. *Suid.* in v. Παρωδία, & *Cicer.* L. II, Tusc. Qv. p. m. 144.

CAP. XXX.

Caninum prandium.] Quid sit *caninum prandium*, variè disputari video. Ego, quum hæc verba desumta esse constat ex *Varronis* quadam satura *Cynica*, quæ ΥΔΡΟΚΥωΝ (ita enim profecto legendum est) inscripta est; nullus sanè dubito, *Caninum prandium*, esse prandium Cynicorum philosophorum, qui aqua pro vino utebantur; ut *Laërtius* tradit in vita *Cratetis* Cynici Lib: VI, §. 90, p. m. 358, ὕδωρ ἔπινεν; planius autem in vita *Menedemi* §. 105, p. 365, de philosophis Cynicis, eorumque cultu & victu: ἔνιοί τε γοῦν καὶ βοτάναις, καὶ παντάπασιν ὕδατι χρῶνται ψυχρῷ, *plerique etiam herbis & aqua tantum frigida utuntur.*

* * *

LIB. XIV. CAP. I.

p. 633.

Disciplinam istam Chaldæorum - - Illustris in hanc rem mihi videtur locus *Strabonis* Lib. XVI, p. m. 1074, quem proinde apponere lubet. Ἀφώριστο ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον. προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, οὓς οὐ καταδέχονται, οἱ ἕτεροι. - - - Ἐστι δὲ

ἐσὶ καὶ τῶν Χαλδαίων τῶν ἀστρονομικῶν γένη πλείω. Καὶ γὰρ Ὀρχηνοί τινες προσαγορεύονται, καὶ Βορσιππηνοὶ, καὶ ἄλλοι πλείους, ὡς ἂν κατ' αἱρέσεις, ἄλλα καὶ ἄλλα λέγοντες περὶ τῶν αὐτῶν δόγματα, &c. i, e, *Constituta est habitatio peculiaris in Babylonia philosophis indigenis, plurimum astronomiam tractantibus, qui Chaldaei appellantur. Sunt ex iis, qui e natalibus hominum eventura iis vaticinari se profitentur, sed a ceteris non probantur. - - - Chaldaeorum autem astronomicorum genera sunt aliquot. Nam quidam Orcheni dicuntur, quidam Borsippeni & alii complures, qui, ut in sectarum fieri solet diversitate, eisdem de rebus aliter atque aliter statuunt.* - - - uti vertit *Xylander.*

Ibid. p. 636.

Ad eumdem locum, quum eodem habitu simul omnes. (stellæ erraticæ) *profectæ sunt, regredi;*] ad quæ *Trillerus:* „ Legendus ita est locus: „ *Quo* (sc. loco) *eodem abitu simul omnes pro-* „ *fectæ sunt, regredi. Habitu* enim hic otio- „ sum est. Quod ad rem ipsam, constat „ veteres Astrologos Ægyptios æquè ac Græ- „ cos credidisse, post revolutionem annorum „ 1461 (ut plurimi putant; alii tamen nu- „ merum in immensum extendunt) maximi „ conversionem fieri, qua omnes planetæ ce- „ terique cœlestes orbes ad eumdem regrede- „ rentur locum, a quo ante id tempus fuis- „ sent egressi: Atque huc spectat Gellius.

„ Ideo

„ Ideo τὸ *regredi* expungendum nequaquam „ est, ut voluit Gronovius, pro *habitu* autem necessario legendum est *abitu?* - -

CAP. II. p. 641.

A rhetorum epilogis] Ego pro, *epilogis*, non dubito Gellium scripsisse, *apologis*, quibus rhetores in scholis suis utebantur, uti *Suetonius* docet Cap. I, de Claris Rhet. Nam & dicta præclarè, per omnes figuras, *per casus & apologos, aliter atque aliter exponere consueverant* rhetores. Item *Quintilianus* Lib: VI, Cap. 3, p. m. 541, *Similis in apologis quoque - - - gratia consequi solet.* Hujusmodi *Apologus* est ille *Demosthenis* adversus Philippum: *Lupos aliquorum pastoribus, quorum diligentiam decipere voluissent, suasisse, ut in amicitiam convenirent: eâ tamen conditione, ut canes, in quibus erat causa jurgiorum, illis traderentur:* - - - &c. Vid. *Isidor.* Lib: I, Orig. Cap. 39.

Ibid. p. 643.

Constabat virum esse ferme bonum,] Gellius procul dubio scripsit, *firmè bonum*, i, e, certissime, quum addit, *notæque & expertæ fidei.*

Ibid. p. 644.

Defamatissimæ vitæ] uti rectè *Gronovius* edi-

edidit, veteres codices sequutus. Sic Noster porro XVIII, 3. *Homo turpitudine vitæ defamatissimus.*

Ibid. p. 646.

Præcepta Ælii Tuberonis super officio judicis] Vide sis *Memorias* nostras *Obscuras* Part. III, p. 201.

CAP. III. p. m. 648.

Quod Παιδείαν Κύρε *inscriptum est*,] Sed jam ante Xenophontem *Antisthenes* quoque librum scripsit, cui titulum fecerat, Κῦρος, ἢ Περὶ Βασιλείας, ut *Laërtius* tradit L. VI, §. 16, p. 324, de quo *Cicero* insuper meminit ad Atticum XII, 37. quapropter in eorum sententiam facile me adduci patior, qui Κύρε παιδείαν a Xenophonte *non ad historiæ fidem, sed ad effigiem justi imperii* scriptam esse opinantur cum *Cicerone* Lib: I, Epist. I, ad Q. Fratrem.

Ibid. p. 649.

Retractandi levandique ejus operis gratiâ, Hariolentur alii: ego vulgatum, *retractandi*, retineo, quô consimilem fere in modum *Juvencum* Lib: II, Hist. Evang. vs. 85. uti video:

- - - - - *Sed pectora talia cernens,*
Hoc, inquit, verbum scribarum dicta retractant.

Ibid.

Ibid.

Παιδείας δ' ἐκόρεσθας - -] Quæ verba *Platonis* exſtant in tertio de Legibus pag. m. 592.

Ibid.

Negat Socratem de cœli - -] Adde illud *Minucii* in Octavio XIII, 1. *Si philoſophandi libido eſt, Socratem ſapientiæ principem, quisquis veſtrum tantus eſt, ſi potuerit, imitetur. Ejus viri, quoties de cœleſtibus rogabatur, nota reſponſio eſt*, Quod ſupra nos, nihil ad nos. Conf. *Lactant.* III, 20, 10 & *Cicer.* Lib: I, Acad. Qv. Cap. 4. Quod quidem ſapientiſſimi philoſophi dictum nonnulli ita interpretantur, quaſi Socrates ſcientiam rerum Cœleſtium diſſimulando callidè ſimulare voluerit.

Ibid.

Non pergerent,] Ubi *Trillerus* meus legit, *pertingerent*, quum in Vett. Codd. eſt, *pertinerent*.

CAP. IV. p. 651.

Imaginem Juſtitiæ] Paulo aliam *Juſtitiæ* imaginem a pictoribus factam ſe vidiſſe refert *Pauſanias* in Eliacis Lib: V, p. m. 321, *formoſam* nempe *mulierem*, *quæ alteram* (Injuſtitiam) *fœda facie*, *ſiniſtrâ obſtricto collo trahit*, *dextrâ fuſte cædit & male multat.*

CAP.

CAP. VI, p. 656.

Ægyptus Aëria antè dicta] h. e. ὑψηλὴ, edita, sublimis, uti *Strabo* docet Lib: IV, p. m. 283. Adde, quod *Ægyptios* itidem *Aërios* dictos fuisse testatur *Isidorus* Lib: IX, Orig. Cap. 2, p. m. 1039.

Ibid.

Corinthus Ephyre dicta] Rationem reddit *Pausanias* L. II, p. m. 85. Ceterum non uni Corintho proprium hoc nomen, *Ephyre*, sed pluribus civitatibus commune fuisse, docet *Strabo* L. VIII, p. m. 520.

* * *

LIB. XV. CAP. I.

p. 663.

SI quid autem posset remedii - -] Confer sis *Amœnitates* nostras *Philologicas* Vol. I, Serm. LIII. de *Remediis Incendiariis Veterum*, pag. 236 sqq.

CAP. II. p. 664.

Tanquam Plato - - laudes ebrietatis - - scripsisset] Vide *Platonem* ipsum de Legibus Lib: II, p. m. 583 & Lib: VI, p. 623, item *Laërtium*,

tium, qui de Platone Lib: III, §. 39, perhibet, πίνειν εἰς μέθην οὐδαμοῦ πρέπον ἔλεγε, πλὴν ἐν ταῖς ἑορταῖς τοῦ καὶ τὸν οἶνον δόντος θεοῦ. Quò procul dubio spectat illud *Apuleji* in Apolog. p. m. 309, *Platonica familia nihil novimus nisi festum & letum & sollemne* - - ubi vide *Scipionem Gentil.* pag. 313.

Ibid. p. 666.

Deluamus.] Veteres editiones habent, *diluamus*, quod monere visum est. *Trillerus* meus mavult *deleamus*, aut *eluamus*, sed probè addit, *si necesse.*

CAP. IV. p. 668.

Nihil adeo de quoquam tantæ admirationi fuit,] Sic Noster porro Lib: V, Cap. 14, *Præter alia omnia leonum immanitas admirationi fuit.* Item VII, 14, *Tum admirationi fuisse ajunt* — & L. XV, Cap. 8. *Ea Cornelii bariolatio magnæ mox admirationi fuit.* Quæ quidem Gellii mei loca testimonio sunt, frustra esse *Franciscum Vavassorem*, qui in *Antibarbaro* p. m. 512, vix ac ne vix quidem reperiri contendit, *admirationi esse.*

Ibid. p. 669.

Nam mulos qui fricabat,] *Ventidius Bassus*; quem tacite procul dubio designat Seneca Epist XLVII. *Erras, si existimas me quosdam quasi sor-*

di-

didioris operæ rejecturum, ut puta illum mulionem, & illum bubulcum: non ministeriis illos æstimabo, sed moribus.

CAP. V. p. 670.

Barvasculo cuidam] lege cum Veteribus nonnullis, *barbatulo.* Atque *barbatulum advocatum* eum puta, qui, ut ait *Petronius* Sat. p. m. 14, *cruda adhuc studia in forum propellit*, qui *juvenis in foro ridetur.*

Ibid.

Qui Latinè loquuti sunt, non profligatum, *sed* adfectum *dixerunt.*] Interpretum nonnulli insignem hic errorum in Gellio deprehendere sibi videntur: objectant auctoritates *Ciceronis*, *Livii*, *Taciti*, *Flori*, & aliorum, qui *profligatum* pro *adfecto* dixerunt: quibus & ego addere habeo testimonia *Valerii Maximi* VII, 5, 4, & *Senecæ* de Otio Sap. Cap. 29. Verumenimvero ecquis diligens Noctium Atticarum lector nescit, eos, *qui Latinè loquuti sunt*, non alios censeri à Gellio, quam qui ante vel ad *Ciceronis* usque ætatem floruerunt; *Scipionem*, *Catonem*, *Quadrigarium*, *Metellum*, *Pisonem*, *Gracchos*, &c? Ecquis nescit porro, jam tum temporibus Ciceronis, *peregrinitatem in Urbem Romam* fuisse *infusam*, uti ipsemet Lib: IX, ad Famil. Epist. XV, scribit? ut Gellio temere proinde error in hoc loco exprobretur.

CAP.

CAP. VIII, p. 674.

Orationem Veterem Favorini] de quo diximus in *Memoriis Obscuris* Part. I, pag. 54.

Ibid. p. 675.

Ut delibari sibi cœnas jubeant,] Lexicon Fabro – Cellarianum, nescio quô duce, quâ auctoritate, Gellio tribuit verbum, *delibrari*, in hoc loco. v. *Delibro*, col. 1341, edit. noviss. Gesner.

CAP. IX, p. 676.

Nam hi sunt inimici pessumi, - - -] Quò refero illud *Taciti* in vita Agricolæ, XLI, 1. *Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. Causa periculi non crimen, aut querela læsi cujusquam, sed infensus virtutibus princeps, & gloria viri, ac pessimum inimicorum genus, laudantes.*

CAP. X, p. 678.

Nudæ cum eodem laqueo - - efferrentur,] Pariter apud Romanos insepulti abjiciebantur, qui vitam laqueo finierant; quod voluntariæ mortis genus, *informe letum* vocat *Virgilius* Æneid. XII, 603, ubi *Servius* p. m. 1206, *Cautum*, inquit, *fuerat in Pontificalibus libris, ut, qui laqueo vitam finisset, inse-*

ſepultus abjiceretur. —— Conf. ſeqq. ibid. ex *Caſſio Hemina* & *Varrone.*

CAP. XI, p. 679.

Senatus conſultum de Philoſophis - -] ut ego quidem opinor, *Epicureis.* Quò refero verba *Æliani* Hiſt. Var. IX, 12, ὅτι Ῥωμαῖοι Ἀλκαῖον καὶ Φιλίσκον, τοὺς Ἐπικουρείους ἐξέβαλον τῆς πόλεως, ὅτι πολλῶν καὶ ἀτόπων ἡδονῶν εἰσηγηταὶ τοῖς νέοις ἐγένοντο. Conf. *Athenæus* L. XII, Cap. 12, p. m. 547, & *Quæſtiones* noſtras *Romanas* Lib. III, Cap. II, Qv. II, p. 254 ſqq.

Ibid.

De Rhetoribus Latinis] Vide *Quæſtiones* noſtras *Romanas* p. 165 ſq. Adde quod *Julianus* itidem Rhetoras docere vetuit, ut auctor eſt *Ammianus* Lib: XXII. p. m. 480, item, quod ſub *Maximiano* eloquentia exſtincta, cauſidici ſublati ſunt, teſte *Lactantiô* de Mort. Perſecut. Cap. XXII. Taceo de Clariſſimo *Cellario*, qui Edictum Cenſorium, quod *Gellius* refert, bellè excuſat in Diſſertatione XV. de *Studiis Romanorum litterariis in Urbe & Provinciis*, §. VIII, p. m. 348 ſq. cui ſuam accuſationem opponit poſtea *Joh. Nic. Funccius* in Libro *de Adoleſcentia Linguæ Latinæ* Cap. IV, §. VII, p. 172 ſq.

Ibid.

Ibid. p. 680.

Quâ tempestate Epictetus - -] *Suidas* p. m. 313. Epictetum usque ad tempora M. Antonini vixisse tradit, quod minus verisimile mihi videtur, si penitius inspexero ipsum *Antoninum* Lib: I, §. 7, & Lib: VII, §. 19. Adde quod Gellius noster, qui sub Antoninis floruit, *recentiorem memoriam de Epicteto* esse fatetur Lib: II, Cap. 18, ut proinde jam tum e vita pridem excesserit. Taceo multitudinem annorum, qui a Neronis imperio, sub quo jam inclaruerat philosophus, ad tempora M. Antonini fere centum intercesserunt.

Ibid.

Nicopolin] Vide sis quæ diximus in *Memoriis Obscuris* Part. IV, p. 238, sq.

CAP. XII. p. 680.

Nulla apud me fuit popina,] luxuriæ officina; cujus nomen infame erat apud Romanos veteres, unde *Lucillius* Lib: I, apud *Nonium*, Cap. II, n. 705,

Infamem, inhonestam, turpemque odisse popinam.

Taceo de voce, *Popina*, quam corruptam esse docet *Isidorus* Orig. Lib. XV, Cap. 2, p. m. 1194, legendamque *Propina*.

Ibid.

Ibid. p. 681.

Propter me sollicitus est,] lege *sollicitatus*; quam veterum editionum scripturam cur Gronovius spreverit, imo ne indicârit quidem, nihil video.

Ibid.

Quas plenas tulerunt,] Lege (inquit *Trillerus* meus) *attulerunt*: Syllaba *at* absorpta videtur a præcedenti *as*.

CAP. XIII, p. 681.

Afranius in Consobrinis] Comœdia facta, ut opinor, ex Græca *Menandri*, quæ Ἀνεψιοὶ inscribitur apud *Athenæum* Lib: XV, Cap. 18 & 20, p m. 700. Hujus alia fragmenta præbent *Festus* & *Charisius*.

Ibid. p. 682.

Hem isto parentum - -] Ne quem particula, *isto*, offendat, faciet, ut puto, *Plautus* Rud. IV, 7, 8,

Isto tu pauper es, cum nimis sanctè pius.

i, e, ea propter. In antiquissimo quodam Gellii libro legi video, *Hem hisco parentum* —— quod clam esse nolo.

V 2 Ibid.

Ibid.

Vereri ſe ab ſuis.] Quæ de paſſiva forma verbi, *Vereor*, monere habeo, ea jam quondam monui in *Supplemento* meo L. Lat. p. 359, unde poſtea in Lexicon Fabro-Cellarianum ſunt tranſcripta.

Ibid.

Pranſum, paratum, cohortatum] Vide ſis quæ de verbis *Cohorto* & *Cohortatus* quondam monui in *Supplemento* meo L. Lat p. 60. Ceterum quum *Gronovius* l. c. ſubmonet, pro *Cohortatum*, legi ſimplex, *hortatum*, in Codice Regio Pariſienſi, redit in memoriam, quod hoc itidem obſervare mihi contigit apud *Hirtium* de B. Hiſp. Cap. 1, *Ita paucis commodis hoſte hortato, majores augebantur copiæ.* Ubi nimis quam confidenter *Cl. Montanus* pronuntiat, *barbariſmum eſſe* —— Meminerit hic, antiquum eſſe, *hortor abs te*, ut Gellius l. c. docet; quod cum Noſter improtectum relinquit, teſtimonia præbet *Supplementum* meum, de quo dixi, pag. 145.

Ibid. p. 683.

Dilargitis proſcriptorum bonis] *Salluſtium* imitatur *Lactantius* VII, 1, 13, *Venditis aut dilargitis, quæ amant*, - -. Sed jam ante Salluſtium C. *Gracchus* dixit, *Ærarium dilargitur*,

tur, παθητικῶς, uti *Priſcianus* docet Lib. VIII, p. m. 287.

Ibid.

Ariſtippi Cyrenaicorumque omnium --] Philoſophia *Cyrenaica* gemina cenſetur *Epicureæ*, atque Cyrenaici ἐκ μιᾶς οἰνοχόης Ἐπικούρῳ πεπωκότες, *ex eodem cum Epicuro poti poculo* dicuntur *Plutarcho* T. II, Opp. pag. 1089; quanquam de *Voluptate* aliter ſentire *Epicurum*, aliter *Cyrenaicos* monet *Laërtius*. L. X, §. 136 ſq. p. m. 660; quorum ille *ſummum bonum in voluptate animi eſſe cenſet*: hi, ſive horum princeps *Ariſtippus in voluptate corporis*, ut ait *Lactantius* III, 7, 7.

Ibid. p. 685.

NI. TESTIMONIUM. FARIATUR.] Mirè hic diſcrepant & Codices & Criticorum conjecturæ. Mihi veriſimile videtur, Decemviros dixiſſe, FACIATUR; ſic enim locutos eſſe Romanorum vetuſtiſſimos, nemo paulo humanior ignorat.

CAP. XIV. p. 686

Ego illud minus nihilo exigor portorium.] Ita legitur quoque hic verſus apud *Nonium* II, 294. Quæ *Gronovius* in Carrione ad hunc locum reprehendit, falſa ſunt. Vide ipſum

Carrionem Lect. Ant. Commentar. III, Cap. XVII, p. 85, Tom. III. Thesaur. Gruter. P. II. Denique ut ad versum nostrum redeam, *Nonius* auctorem & titulum Comoediæ, ex qua desumtus est, sic citat, *Cæcilius Æschino*; quod sibi notent interpretes Gelliani.

CAP. XV, p. 687.

Cæcius in Synaristosis] Titulus *Synaristosæ*, sive *simul prandentes*, *Menandri* est apud *Plinium* Lib. XXIII, Cap. 9. sub init. ex quo procul dubio *Cæcilius* desumsit. Sed & *Crates* Comicus fabulam scripsit, cujus titulum, Συναριστῶσαι, cum fragmento citat *Athenæus* Lib. VI, Cap. XII, p. m. 248.

CAP. XVI. p. 687.

In Chronicis] Vide sis *Memorias* nostras *Obscuras* P. III, p. 181.

CAP. XVIII. p. 690.

Ea Cornelii sacerdotis hariolatio] edita per ἐνθουσιασμὸν, ut putat *Plutarchus* in vita Cæsaris p. 730. quam ego tamen, si vera est fabula, ad spiritus aëreos refero. Vide sis *Amœnitates* nostras *Philologicas* Vol. I, Serm. VIII, p. 31.

Ibid.

Ibid.

Exercituum duorum conflictatio] Ne unum *Gellium* auctorem vocabuli, *Conflictatio*, credat Lexicon Fabro-Cellarianum, monstrare lubet antiquiorem *Quintilianum* Lib. VII, Cap. I, p. m. 584, *Juris autem quæstiones solent esse nonnunquam ex aliis atque aliis conflictationibus.*

CAP. XIX, p. 690.

Ut tuus pistor bonum faceret panem,] Præstantissimi pistores veterum erant e Lydia, Phœnice aut Cappadocia. Vide *Athenæum* Lib. III, Cap. XXIX, p. 112.

CAP. XX. p. 692.

Mulieres fere omnes in majorem modum exosus fuisse dicitur Euripides] Hoc odium *Euripidis* in sexum muliebrem paucis exponit *Sophocles* apud *Athenæum* Lib: XIII, Cap. I, p. 557, ἐν ταῖς τραγῳδίαις μισογύνης. ἐν τῇ κλίνῃ φιλογύνης, *in tragœdiis mulierum osor, in cubili amator*. Conf. Cap. VIII. ibid. p. 603.

Ibid. p. 693.

Canibus a quodam æmulo immissis dilaceratus est Euripides] De mortis genere, quo Euripides periit, non convenit inter Scriptores; quorum alii eum in Macedonia defunctum

tantum memorant, ut *Plutarchus* in Lycurgo p. 59, & de Exilio p. 604: Alii non a canibus, ſed a mulieribus dilaceratum tradunt, noctu euntem ad Craterum, Archelai delicias. Vide *Suidam* p. 345. Unde *Pauſanias*, incertus, quos auctores fugiat, quoſve ſequatur, Lib: I, in Atticis p. m. 3, Τέθαπται Ἐυριπίδης ἐν Μακεδονίᾳ παρὰ τὸν βασιλέα ἐλθὼν Ἀρχέλαον. ὁ δὲ οἱ τῦ θανάτυ τρόπος, πολλοῖς γάρ ἐςιν ἐυρημένος, ἐχέτω καθὰ λέγυσι. *Euripides cum in Macedoniam ad Archelaum profectus eſſet, illic ſepultus eſt. Mortis vero genus, quale a multis vulgatum eſt, tale per me fuerit.* Ceterum *Gellio* noſtro aſſentitur *Valerius Maximus*, quem vide Lib: IX, Cap. XII, ex. 4.

Ibid. p. 694.

Ut oſſa Euripidis *Athenas* - -] Quæ cum Athenienſes recuperare non poſſent, ſtatuam poëtæ in theatro poſuerunt, de qua meminit *Pauſanias* in Atticis p. m. 36. Ceterum de ſepulchro Euripidis prope *Arethuſam* vide *Plutarchum* in Lycurgo p. 59, & *Ammianum* Lib: XXVII, p. m. 517.

CAP. XXII. p. 695.

Cerva Alba] Unum hoc *Cervæ Candidæ* exemplum commemorat *Plinius* Lib: VIII. H. N. Cap. 32, plura, credo, ignorans.

Pau-

Pauſanias tamen, ſe ἐλάφυς ἐν Ῥώμῃ λευκὰς, *Cervas albas Romæ* multa cum admiratione ſpectaſſe refert in Arcadicis Lib: VIII, p. m. 483.

CAP. XXIV. p. 697.

Certare hanc rem] Sic Noſter XVIII, 9, *Hæc illi inter ſe certabant.*

Ibid.

Dein Nævius - -] *Trillerus* meus mavult, *Nævio.*

CAP. XXV. p. 699.

Recentatur,] Vide *Gatakerum* ad Antoninum Lib: III, §. 3, p. 123, de græco *Tralliani* ῥαικεντάτον, pro quo mavult ῥεκεντάτον.

CAP. XXVI. ibid.

Ariſtoteles quid Syllogiſmus eſſet - -] Locus *Ariſtotelis* exſtat Lib: I. Analyt. Prior. Cap. I, p. m. 30.

CAP. XXVII. p. 700.

In libro Lælii Felicis - -] Alius eſt *Lælius* ille in Pandectis, quem *Pancirolus* cum noſtro confundit. V. *Cornel. van Bynkershoek* Lib: III, Obſervat. Jur. Rom. Cap. VIII, p. m. 250 ſq.

Ibid.

Per cornicinem] Nimirum *Cornicines*, æque ac lictores, miniſtri publici civitatis erant, per quos plebs antiquitus convocari ſolebat; ut docet *Dionyſius Halic.* Lib: II, Τȣ̀ς δημοτικȣ̀ς ὑπηρέται τινες κέρασιβοείοις ἐμβυκάνοντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον, *Plebem miniſtri quidam cornibus bovillis inſonantes ad concionem cogebant.* Adde verſum *Lucilii* apud *Nonium* IV, 79,

Rauco concionem ſonitu & curvis cogant cornibus.

item *Propertii* Lib: IV, p. m. 764,

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.

Vide *Lipſium* de Militia Rom. Lib: IV, Dial, X, p. 195, & *Wormium* noſtrum de *Cornu Aureo* p. 25.

* * *

LIB. XVI. CAP. II.

p. 710.

D*Eſierisne facere adulterium, an non?*] Similis eſt Elenchus, ut vocant, πολ υξητήσεως, *Alexini* ad *Menedemum*; ἐι πέπαυται τὸν πατέρα τύπτων? de quo vide *Laërtium* Lib: II, §. 135, p. m. 158.

Ibid.

Ibid.

Quicquid non perdidisti, - -] Conf. XVIII, 2. Elenchus est *Chrysippi* apud *Laërtium* Lib: VII, §. 187, p. m. 480, quem *Suidas* quoque memorat p. m. 316 & 1028, & *Seneca* Epist. XLIX. iisdem verbis refert, atque in *exemplis acutæ delirationis* numerat. Idem forte aut certe par Syllogismus fuit, quo non nemo collegit adversus *Diogenem*, ὅτι κέρατα ἔχει, de quo *Laërtius* meminit Lib: VI, §. 38, p. m. 334.

CAP. III, p. 711.

Quasi ex lingua prorsum ejus capti] *Trillerus* meus cum *Stephano* aliisque mavult, *apti*. Nam (inquit) alludit Gellius manifestè ad Herculem Gallicum, ex cujus lingua tenues catenulæ ex auro atque electro concinnatæ propendebant, quibus ille ingentem hominum multitudinem trahebat, omnes ab auribus revinctos, ad demonstrandam nimirum orationis vim in auribus hominum.

Ibid. p. 712.

βύλιμον - -] Τίς αἰτία βυλίμυ, omnium diligentissimè disputat *Plutarchus* L. VI, Sympos. Qv. 8, p. 693 sqq. Ubi Auctor πόυλιμον Æolicâ dialecto dici docet, quem reliqui Græci βύλιμον appellant.

CAP.

CAP. IV. p. 713.

POPULUS HERMUNDULUS] *Gronovius* pater *ridiculum* hic vocat *errorem* Viri Clarissimi *Ludovici Aurelii* ad Tacitum II, Annal. 63, opinantis, *Hermundulos* esse, quos *Tacitus* vocat *Hermunduros*. Ego vero, usquequo meliora edoctus fuero, cum *Ludovico* sentio, & *Hermundulos* pro antiquissimis Misniæ incolis habeo, de quibus vide sis *Antiquitatum Misnico-Saxonicarum Singularia duobus libris exposita* a Clarissimo Gymnasii Altenburgensis Directore, M. *Christiano Henrico Weissio*, A°. 1727, 8°, ut alios taceam.

Ibid. p. 716.

Infrequens dabatur.] Alius legit, *dicebatur*, alius *notabatur*. Mihi verisimilius videtur, *damnabatur*; nam *infrequentem* militem pœna sequebatur, stipendii privatio, teste *Frontino* Lib: IV. Strateg. Cap. I, extr. *Cum a Liguribus in prælio Q. Petilius COS. interfectus esset, decrevit senatus, uti ea legio, in cujus acie COS. erat occisus, tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æraque rescinderentur.*

CAP. V. p. 717.

C. Ælius Gallus] Ita legendum. Alius est *Ælius Gallus*, dux Romani exercitus, atque Ægyp-

Ægypti præfectus, qui cum *Strabone* Nilum totamque ferme Ægyptum perlustravit, de quo hic p. m. 118, item 780, 806. 816 & 819.

CAP. V, p. 718.

Areâ vacanti interfitâ] Hinc Noster *aream Palatinam* vocat Lib: XX, Cap. I. quam *Vestibulum Palatii*, sive, *ædium Palatinarum* dixerat IV, 1, & XIX, 13.

CAP. VI, p. 719.

Redeuntes Græcia, Brundusium navem advertimus.] Huc nimirum deferuntur, quibus ex Græcia sive Asia iter ad Romam est. Vide *Strabonem* Lib: VI, p. m. 433.

Ibid. p. 720.

Bidenti verre] Hinc dicti SACERDOTES BIDENTALES. V. *Gruter*. Inscr. pag. XCVI, n. 6.

CAP. VII. p. 722.

Calabarriunculos *dicit*, *quos vulgus* calabarriones] Silent hic interpretes velut ex compacto. Veterum editionum aliæ habent *Calabirriunculos* & *Calaburriones*, aliæ *talaburriones*. Sed Laberius forte *tabellariunculos* dixit, quos vulgus *tabelliones*.

Ibid.

Ibid. p. 723.

Gubernium *pro* Gubernatore,] *Laberius* (minimè *Nævius*, quem Lexicon Fabro-Cellarianum auctorem profitetur in v. *Gubernium*) *Gubernionem* forte dixit pro *gubernatore*: nisi malis apud Nostrum, *gubernium* pro *gubernatione*.

Ibid.

In Necijomantia] Idem mimi Laberiani titulus citatur a Nostro XX, 6. Sed vetustissima editio Veneta atque huic proximæ utrobique habent *Necromantia*, quod non dissimulandum.

Ibid. p. 724.

Quid est jusjurandum? emplastrum æris alieni.] Versus *Laberii*, non, ut *Salmasius* scribit de Fœn. Trapez. L. I, p. 81 & 269, *Lucilii*. Sensus est, Perjuriô hominem ære alieno liberari.

CAP. VIII, p. 724.

Quum in disciplinas dialecticas induci atque imbui vellemus,] Hinc Lexicon Fabro-Cellarianum phrasin confingit, *imbui in disciplinas*. Vid. v. Imbuo. Sed enim alia est, *in disciplinas induci*, alia. *imbui*, id est, tingi, lanæ aut similium rerum instar. Quod interpreta-

men-

mentum suadet consimilis locus *Ciceronis* in Hortensio apud *Nonium* XII, 13, *Ut hi, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam: sic litteris talibusque doctrinis antè excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui & præparari decet.*

Ibid.

In primo περὶ ἀξιωμάτων] Falluntur, qui ἀξιώματα hic accipiunt pro regulis communibus. Vide *Muretum* Var. Lect. Lib. VI, Cap. 2, p. m. 978. Ἀξιώματα hic sunt, quas in Scholis hodie *Propositiones* vocant, *Cicero* Lib: de Fato Cap. I. *enuntiationes*. Ceterum primus in Græcia περὶ ἀξιωμάτων scripsit *Clinomachus Thurius*, teste *Laërtiô* Lib: II, §. 112; quem postea sequutus est *Chrysippus*, apud eumdem Lib. VII, §. 190, p. 482, atque ex Latinis L. *Ælius Stilo*, cujus *commentarium de Proloquiis* noster l. c. allegat. Taceo de *Arcesilao*, qui ἀξιωματικώτατος (nova gradu exsuperante, cui in *H. Stephani* Thesauro L. Gr. locus detur) dicitur apud laudatum *Laërtium* L. IV, §. 33, p. 247.

Ibid. p. 727.

In illis dialecticæ gyris - -] Simile est monitum *Senecae* Epist. CXI. *Hoc habent Sophismata in se pessimum; dulcedinem quamdam sui faciunt, & animum specie subtilitatis in ductum tenent ac remorantur.* Ibid.

Ibid.

Apud Sirenios scopulos] Gellius procul dubio scripsit *Sirenæos*, a Græco Σειρηναῖος. Sic *Ammianus Marc*. L. XXIX, p. m. 420 *scopulos Sirenæos* dicit, uti jam olim monere me memini in *Supplemento* L. Lat. pag. 321.

CAP. X. p. 733.

Quod ab eo genere celebratus auctusque erat,] *auctus*, sc. honoribus. Locus *Sallustii* exstat in B. Jug Cap. LXXXVI, n. 3, ubi vide *Cortium* pag. 812 suæ editionis, sane præstantissimæ. Alius forte *auctum* interpretetur *procreatum*; nec repugno. Sed enim quum Codicum nonnulli Sallustiani habent *actus*, suspicatus aliquando fui, auctorem scripsisse, *altusque*; sicuti apud S. *Aurelium Victorem* in vita Constantini de *Licinio* me legere memini, pag. m. 633, *Rusticantibus*, *quia ab eo genere ortus altusque erat*, *satis utilis*. Sed nihil muto.

CAP. XII. p. 734.

Cloatius Verus] Vide sis quæ de hoc Grammatico diximus in *Memoriis Obscuris* Part. I, p. 41 sq.

CAP. XIII, p. 738.

Per innotitiam] Sive, quod alii volunt, *ig-*

ignotitiam; quam lectionem mihi confirmat antiquissimus Codex *Vitruvii*, in quo sic legitur Lib: III. in Præfatione: *Nec tamen est admirandum, si propter ignotitiam artis virtutes obscurantur.* Ubi alii pessimè hactenus ediderunt, *ignorantiam*.

CAP. XIV, p. 739.

Isti ignaviores] *Lipsius* novum hic vocabulum nobis fingit, *ignaviones*; quód cum *Gellio* tanquam vero auctori in *Lexico Fabro-Cellariano* tribui video, commonefaciendum lectorem esse putavi.

CAP. XV. p. 739.

Perdices bina corda - -] Idem *Athenæus* itidem ex *Theophrasto* tradit Lib: IX, Cap. X, p. m. 390. Atque ex hoc procul dubio *Plinius* Lib: XI, Cap. 37, p. m. 565 pariter refert, *in Paphlagonia bina perdicibus corda* esse.

CAP. XVI. ibid.

Pedes primi exstiterant,] *Trillerus* meus legendum putat, *exierant*. Ita enim (inquit) Latini est Græci loquuntur. Vid. Hippocrat. de Nat. Pueri IV & XLI, it. de Exsect. Fœt. & alibi, ubi verbo ἐξέρχεσθαι utitur. Sed & Hebræi, ubi de Partu sermo, verbum יצא, *exiit*, usurpant. V. Grot. ad Mich.

V, 2, p. 527 T. I. Opp. Theol. Idem mox legit, *ab ægritudine ex pedibus*, pro vulgato, *& pedibus*.

Ibid. p. 740.

Duabus Carmentibus] Hinc *ara Carmentalis* apud *Servium* ad VIII. Æneid. vs. 337, & *Carmentalia* apud *Varronem* L. V, c. 3, atque alios.

CAP. XVII, p. 741.

Ajus deus] Lexicon Fabro-Cellarianum pravè hunc *Ajum* exponit *deum Romanorum, penes quem statuebant humanæ vocis initia*. Sed auctor hujus erroris non *Gellium*, non *Ciceronem* Lib: II. de Divinat. Cap. 32, non *Livium* V, 50 & 52, nec denique *Plutarchum* in vita Camilli p. 144, inspexisse videtur. Atque vero quod *Ajus* hodie apud Gellium legitur, id Clarissimo *Phil. Beroaldo* debemus, qui primus sic restituit, cum antea legeretur *Arius*. Vid. *Gruteri* Thesaur. Crit. T. I. p. 226.

Ibid.

Vaticanus deus] Quam lectionem nuper mutandam censuit vir Clar. *Paul. Christ. Hilscherus* in Miscellaneis Lips. T. VII, Observat. CXLVI. p. 34, atque revocandam veterem, quam *Lud. Vives* ex Augustino sustulit, *Vagitanus*; aliter profecto sensurus, si vel leviter

ter perpendisset initium capitis Gelliani, quod hujusmodi est, *Et agrum Vaticanum, & ejusdem agri deum præsidem* — De hoc *agro Vaticano* Noster porro meminit XIX, 7. Confer *Festum*, & ex recentioribus *Barthol. Marlianum* in Topogr. U. R. Lib: V, Cap, XXI, p. m. 153 sq.

CAP. XVIII. p. 743.

Quæ in aqua conspiciuntur, - -] Rationem reddit *Seneca* Qv. Nat. Lib: I, Cap. 6, *quia acies nostra in humido labitur, nec apprehendere quod vult, fideliter potest.* Adde exempla, quæ Idem ib. petit ex *litteris minutis, quæ per vitream pilam aqua plenam majores clarioresque cernuntur:* item ex *pomis, quæ formosiora, quam sint, videntur, si innatant vitro:* nec non ex *sideribus, quæ ampliora per nubem adspicienti videntur.*

CAP. XIX. p. 744.

Cobibili oratione] i, e, *pressa*; Incertus quispiam auctor in *Lexico Fabro-Cellariano* legere suadet, *Coïbili*, in V. *Cobibilis*, imo sub *Coëo* hoc idem vocabulum, *Coïbilis*, uti & *Incoïbilis*, ibidem pro Gellianis venditari video. Sed caveant sibi creduli, cum nihil hujusmodi in Gelliano quoquam codice reperitur. Adde quod *Cobibilis* interpretationem multò commodiorem, quàm *Coïbilis*, capit.

X 2 Ibid.

Ibid.

Amicum amatumque habuit] Sic *Ælianus* Lib: I. Hist. Var. Cap. 30, princ. Πτολεμαῖος ἐρώμενον εἶχε Γαλέτην. Sensu minus itidem pudico.

Ibid.

Arione - -] De hoc *Arione* Vid. *Suid.* p. m. 132, *Hygin*: Fab. 194, *Clem. Alexandrin.* pag. 2. edit. Potter. *Solin.* Polyh. c. 7, *Ælian.* de Animal. II, 6, VI, 15, & XII, 45. Omnium vero jucundissimus lectu est Celeb. *Huetius*, qui in *Demonstratione Evang.* Proposit. IV, p. m. 497, *Arionis* fabulam, ut vocat, ex historia *Jonæ* detortam esse sibi persuadet, quia in nomine Arionis vestigia exstant nominis Jonæ: quod, sicuti hic in mari Deum oravit & Psalmum dixit, sic ille cantu delphinem deliniisse fertur. —— &c. De aliis *Arionibus*, uti Pythagoreo illo apud *Valerium Max.* VIII, 7, ext. 3, & Rhetore altero apud *Theonem*, Vid. *Fabricii* Biblioth. Græc. Lib: II, Cap. XV, p. 574.

Ibid. p. 745.

Carmen, quod Orthium dicitur,] *Carmen Orthium* alii aliter interpretantur. Vide *Hartungum* T. II. Thes. Crit. Gruter. p. 735. Conf. *Plutarch.* de Musica p. m. 1140. Mihi *Carmen* hoc *Orthium* dictum videtur a Diana

Or-

Orthia, cujus numen in Taurica regione humano ſanguine placabatur, (V. *Serv.* ad Libr. II. Æneid. vs. 116 & *Pauſan.* L. III, p. m. 192 ſq.) id eſt, *lugubre*. Ceterum de *Diana*, cur *Orthia* cognominata ſit, docebunt Clariſſimi mei *Jo. Grammii* Antiquitates Xenophonteæ p. 24 ſq. Conf. *Dacerii Remarques ſur les vies de Plutarque*, p. 89.

Ibid. p. 746.

Simulacra duo ænea] de quibus poſt *Herodotum* meminerunt *Pauſanias* Lib: III, p. 212, & præcipuè *Ælianus* L. XIII. de Animal. Cap. 45.

* * *

LIB. XVII. CAP. I.

p. 746.

M*Onſtra hominum, qui de diis* - -] Auctor forte intelligit ex Græcis *Prodicum*, *Protagoram*, *Diagoram*, *Theodorum Cyrenaicum*, aut *Euhemerum*, qui ἄθεος cognominatus fuit, & γέρων ἀλαζὼν, ἄδικα βιβλία ψύχων, *Senex ſuperbus*, *impios vomens libros*, dicitur *Callimacho* apud *Plutarchum* de Plac. Philoſ. I, 7, nec non S. *Empiricum* Lib. IX, §. 57, p. m. 561, aut denique *Epicureos*, qui providentiam divinam impugnàrunt.

Ibid.

Ciceromastix] Sunt & alii *Ciceromastiges*, *Cestius* Rhetor, *Didymus* & *Dio Cassius*, de quibus Vid. *Fabricii* Biblioth. Lat. Vol. II, p. 165 sq. De *Gallo Asinio* & *Largio Licinio* jam diximus In *Memoriis* nostris *Obscuris* P. I, p. 22 sq. & p. 73.

CAP. II. p. 752.

Veteres complusculè] Retineo, *complusculi*, quod antiquissimæ editiones mihi tradunt. Attendat Lexicon Fabro-Cellarianum.

Ibid.

Optimum quemquam] *Nonius* Cap. II, n. 243, ubi hæc postrema adfert, legit, *optimum quemque*.

CAP. V. p. 759.

Apodixin] Pariter hanc vocem Latinè effert *Quintilianus* Lib: V, Cap. 10. p. m. 397, edit. Burm.

CAP. VI. p. 760.

Servus receptitius] Quem *servum dotalem* vocat *Plautus* Asinar. I, 1, 72. Talis fuit *Remmius Palæmon*, *mulieris verna*, apud *Sueto-*

tonium de Ill. Gr. Cap. 23, & *Telephus* apud eumdem in Augusto Cap. 19.

CAP. VII, p. 762.

Æterna Auctoritas] Consimile est illud ex XII *Tabulis* apud *Ciceronem* Lib: I, de Offic. Cap. XIII, ADVERSUS HOSTEM ÆTERNA AUCTORITAS, i, e, *peregrinum*.

CAP. IX, p. 768.

In Vetere historia rerum Pœnicarum] Repetere hic supersedemus, quæ jam antè diximus in *Memoriis Obscuris* P. III, p. 197, 198.

Ibid.

Sive ille Hasdrubal - -] Sed neque *Æneas*, qui ejusdem artificii meminit in Poliorcetico Cap. XXXI, p. m. 473, auctorem nominat.

Ibid. p. 769.

Oculos ægros habenti capillum - -] De inveterato hoc remedio adversus inflammationem oculorum & φθειρίασιν, quam Græci vocant, *Cornelius Celsus* scribit Lib: VI, Cap. 6, §. 8. & 15, qui *caput ad cutem tonderi* præcipit, —

CAP. X, p. 771.

Petivit oravitque a suis - -] in testamento, ut opinor. Audi *Plinium* L. VII. H. Nat. Cap. 30, *Divus Augustus carmina Virgilii cremari contra testamenti ejus verecundiam vetuit*, — audi porro *Servium* ad principium Æneidos p. m. 304, *Æneida moriens Virgilius præcepit incendi. Augustus vero, ne tantum opus periret, Tuccam & Varum hac lege jussit emendare, ut superflua demerent, nihil adderent tamen* — Conf. *Macrob.* Lib: I, Sat. Cap. 24.

CAP. XI. p. 778.

Pulmoni quoque fovendo] Lege melius (inquit *Trillerus* meus) *movendo*; ad motum enim humiditas aptior, quam ad fotum, & res ipsa docet.

CAP. XII, p. 779.

Therfitæ laudes quæsivit Favorinus] Post *Favorinum* Ἐγκώμιον *Therfitæ* scripsit *Libanius* Sophista. Atque illas quidem *Therfitæ* laudes tacitè reprehendere mihi videtur *Junius Tiberianus* apud *Vopiscum* in Aureliano Cap. I. *Ergo Therfiten, Sinonem, ceteraque illa prodigia vetustatis, & nos bene scimus, & posteri frequentabunt? Divum Aurelianum, clarissimum Principem, — posteri nescient? Deus avertat hanc amentiam!*

Ibid.

Ibid.

Febrim quartis diebus recurrentem laudavit Favorimus,] Nam *Quartana neminem jugulat*, ut ait *Celsus* L. III, Cap. 15 sub fin. imo valetudinem corroborat, unde *Juvenalis* Sat. IV, vs. 57.

— *Jam quartanam sperantibus aegris:*

Ubi interpretes errare mihi videntur, qui *καταλχηνειν* affingunt verbo *sperantibus*, idque exponunt, *timentibus*.

CAP. XIV, p. 781.

Feras, non culpes, quod vitari non potest.] Quam sententiam *Seneca* sic imitatur Epist. CVII, p. m. 475, *Quaecunque fiunt, debuisse fieri putet* animus noster : *nec velit objurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis.*

Ibid.

Frugalitas inserta est rumoris boni] Mirè hic variant & Codices & Critici. Ego vero retineo scripturam *Macrobii*, quae in antiquissimis editionibus servatur, Lib: II. Saturn. Cap. 7. *Frugalitas miseria est rumoris boni:* hoc est, Frugalitatem bonus quidem rumor, sive, fama secunda sequitur, sed miseria, sive, vita miseriis plena; sicuti *probitas laudatur & alget.*

Ibid.

Nunquam periculum sine periculo vincitur.] Cui sententiæ accedit *Silius* apud *Tacitum* Annal. XI, 26, 1, *imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus.*

CAP. XV, p. 783.

In insula Anticyra] *Pausanias* Phoc. Cap. 36, hoc tribuit *Anticyræ Phocensium*, ad Crissæum sinum positæ: *Strabo* Lib: IX, p. 288, *Maliacæ*, ad sinum sitæ Maliacum juxta montem Oetam. *Plinius* Lib: XXV, Cap. 5, juxtà cum Gellio *insulam* dicit *Anticyram*, quod verius de peninsula videtur explicandum. Vid. *Cellarii*, Viri Clarissimi, Dissert. Academ. XII, Cap. V. extr. p. 263.

CAP. XVII. p. 784.

Loqui Græcè, & *Oscè* - -] *Osca* lingua est vetustissima Campana, cujus hæc vocabula ex antiquis lectionibus notavi. *Casnar*, (senex; apud *Varronem* de L. Lat. VI. 3) *Dalivus*, (insanus) *Famel*, (famulus) *Mæsius*, (Majus mensis) *Mamercus*, (prænomen Oscum) *Mamers*, (Mars) *Meddix*, (nomen Magistratus, quo *Ennius* utitur, linguæ scilicet Oscæ gnarus, *summus ibi capitur meddix*, *occiditur alter.*) Pipatio, (clamor plorantis) *Pitpit*, (quidquid) *Sollo*, (quod Romani *totum* dicunt)

cunt) *Veja*, (Plauftrum) *Ungulus*, (Annulus) de quibus fingulis vide *Feftum*.

Ibid. p. 785.

Viris haud unquam per interpretem colloquutus eft] Vetuftiffimæ quas ego vidi, editiones habent, *loquutus eft*, quod clam effe nolo. Atque ita loquuti funt veteres cum dandi cafu. Vid. *Plaut.* Mil. Glor. II, 5, 66, Trin. II, 2, 77, & Menæchm. V, 9, 7.

CAP. XVIII, p. 785.

C. Salluftium - - in adulterio deprehenfum,] Scilicet turpiffimæ corporis parti nimium quantum deditus erat *Salluftius*: unde *Lactantius* II, 12, 12, —— *Quod quidem non fugit hominem nequam Salluftium, qui ait:* fed omnis noftra vis in animo & corpore fita eft. Animi imperio, corporis fervitio magis utimur. *Rectè, fi ita vixiffet, ut locutus eft. Servivit enim fœdiffimis voluptatibus*, - - - Adde quod *Lenæus* hunc *laftaurum* & *lurconem & nebulonem* appellat apud *Suetonium* de Illuftr. Gr. Cap. XV.

* * *

LIB.

LIB. XVIII. CAP. I.

p. 802.

Æstate anni novi] Lego cum Salmasio; *Æstate anni nova*. Addo rationem ex *Isidoro* Lib: V. Orig. Cap. 35, *Æstas in suis tribus mensibus* dicitur *Nova*, *Adulta & Præceps: item Hiems nova*, *Adulta & Præceps*, *sive extrema*. Quæ verba *Isidorus* descripsisse mihi videtur ex *Servio* ad Virgilii Georg. I, vs. 43, p. m. 110, quò lectorem delego.

CAP. II. p. 807.

Quod ego sum, id tu non es] Conf. Cap. XIII. Hanc captiunculam in Scholis vocant *Elenchum accidentis, cum quid in quale mutatur.*

Ibid.

Postea quæstio ista hæc fuit] lego *isthæc*, consentientibus editionibus nonnullis antiquissimis.

Ibid. p. 808.

Hesiodus - - - dimidium plus esse toto dicit.] Locus *Hesiodi* exstat Ἐργ. καὶ Ἡμέρ. vs. 37 sq. Ubi poëta cum quadam indignatione Reges deridet, qui, cum justitiæ vim ignorent, de causa tamen fratris & sua volunt judicare.

Qui

Qui enim nescit, dimidium quo pacto plus totô sit, is Justitiam nescit, quæ in eo versatur, ut omnibus det κατὰ ἀξίαν. Hesiodum imitari videtur *Pittacus* apud *Laërtium* Lib: I, §. 75, p. m. 47, qui agri a Mitylenæis sibi traditi partem abscidisse dicitur, atque dixisse, Τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πλεῖον εἶναι; quod & *Plutarchus* refert de Aud. Poët. p. m. 36. Atque hinc, ut opinor, natus est jocus M. *Tullii Ciceronis*, qui, cum in ea provincia, quamque Cicero frater rexerat, vidisset clypeatam imaginem ejus ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam, (erat autem Quintus staturæ exiguæ) dixit, *Frater meus dimidius major est quam totus*, Vide *Macrobium* Sat. II, 3.

CAP. IV. p. 810.

— *Dissimulationis, qua Socrates ad Sophistas utebatur.*] Sic *sermo Favorini cum grammatico jactantiore in Socraticum modum factus* dicitur IV, 1, lemm. Nimirum Socrates ignorantiam quandam præ se ferebat, atque ita illusas dimittere solebat Sophistarum argutias: unde *Cicero* Lib: I. de Offic. c. 38, *De Græcis*, inquit, *duleem & facetum, festivique sermonis, atque in omni oratione dissimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus.* Ubi *Jac: Facciolatus* (pag. 80 editionis suæ Patavinæ A. MDCCXX.) aliique legunt *simulatorem*; contrà quam *Gellius* loc.

cit. suadet, aut ipse etiam *Cicero* de eodem Socrate Lib. IV. Acad. Quæst. Cap. 5. *Socrates de se ipse detrahens in disputatione, plus tribuebat iis, quos volebat refellere; ita cum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant.* Huc referri potest lepida illa dissimulatio, quâ Socrates fastum Alcibiadis eludit apud *Ælianum* Lib. III. H. Var. Cap. 28.

CAP. VI, p. 815.

Summi quidem loci inter Grammaticos & temporis,] lego, *id temporis.* Sic enim Noster itidem loquitur Lib: I, c. 23 & II, 29, VII, 1, XII, 1, XIII, 11 & 17.

CAP. VII. p. 816.

Domitio - -] de hoc Grammatico jam dixi in *Memoriis Obscuris* Part. II, p, 143.

Ibid. p. 818.

Quæ μελαγχολία dicitur, non parvis nec abjectis ingeniis - - -] Didicisse hoc *Favorinus* videtur ex *Aristotele*, quem vide sis Problem. sect XXX, Cap. 13.

Ibid. p. 819.

Concionem *esse dictam pro verbis & oratione*]

ne] Differunt *Orationes* & *Conciones*, quas Noſter conjungendo disjungit Lib: IX, c. 3. Nimirum, *hæ* anguſtiores ſunt, ut *Alexandri* & aliorum apud *Curtium*, *Càtilinæ* apud *Salluſtium*, - - - illæ auguſtiores, & ad forum vel ſenatum compoſitæ. Cujus diſcriminis auctor mihi eſt *Plinius* Junior I, 16, 4. *In concionibus eadem, quæ in Orationibus, vis eſt: preſſior tamen, & circumſcriptior & adductior.*

CAP. VIII. p. 819.

Qui ſe Iſocratios videri volunt,] i, e, imitatores, ſectatores Iſocratis, cujusmodi fuerunt *Hyperides*, *Iſæus*, *Xenophon*, *Theopompus*, *Naucrates*, *Ephorus*, *Theodectes*, *Aſtydamas*, alii. *Iſocrates* autem ſchemata λέξεως nimis anxiè quæſivit, ut *Demoſthenes* διανοίας. Vide *Quintilianum* Lib: XI, Cap. 4, & *Ciceronem* in Oratore Cap. 52, 61.

CAP. IX, p. 821.

Velio Longo] Hunc Grammaticum *Jo: Bapt. Pius* Annot. Poſter. Cap. IV, p. m. 396. perperam vocat *Verrium Longum.*

CAP. X. p. 824.

Ἀπροαίρετος,] Mihi (verba ſunt *Trilleri* mei) magis placet vulgare, ἀδιαίρετος; pul-

ſus enim revera eſt indiſſolubilis expanſio & contractio arteriæ & cordis; quia ſanguis ille floridus & ſpirituoſus indeſinenter ex corde in arteriam magnam propellitur, ut notum. Nec *Galenus*, nec *Auctor Definit. Medicar.* nec *Nemeſius*, nec alii pulſum ſecus definierunt.

CAP. XI, p. 825.

Purpurat - -] Hinc (inquit *Trillerus* meus) κῦμα πορφύρεον ſæpe apud Homerum, h, e, *fluctus nitidus*, *ſplendidus*, Vox enim *purpura* & *purpureum*, non ſemper pro illo eximiè rubente colore, ſed etiam quandoque pro nitore illo, qui in optimis coloribus effloreſcit, ſumitur. Vid. *Tan. Fabri* Epiſt. Crit. I, Lib: I, in primis *Barth.* Adverſ. Lib: XX, c. 2, p. 1018, & Lib: XXXVI, Cap. 23, pag. 1673, & *Bochart.* in Hierozoic. P. II. L. V. c. 7, p. 694. Nos quoque alio tempore ad doctum quemdam amicum integram Epiſtolam de hac phraſi conſcripſimus.

CAP. XIII, p. 829.

Nummo ſingulo multabatur,] Aliam multam quæſtionis non ſolutæ apud Græcos refert *Athenæus* Lib: X, Cap. XII, p. m. 458. Οἱ μὴ λύσαντες τὸν προτεθέντα, γρῖφον ἔπινον ἅλμην παραμισγομένην τῷ αὐτων, ποτῷ καὶ ἔδει προσενένκασθαι τὸ ποτήριον ἀπνευστί - - - *Propoſitum*

tum griphum non dissolventes, muriam bibebant, admixtam suæ potioni, ea lege, ut absque respiratione calicem ebiberent; imo, ut auctor est *Antiphanes* ibidem, *reductis in tergum manibus*.

* * *

LIB. XIX. CAP. I.

p. 831.

CAssiopa] ita omnino legendum esse suadet *Strabo* Lib: VII, p. m. 499, de Κασσιόπη, ἀφ' ἧ ἐπὶ Βρεντέσιον χίλιοι ἑπτακόσιοι ςάδιοι. Conf. *Cicer*. ad Famil. XVI, 9.

Ibid. p. 833.

Brundisium adventaremus] Suspicatus quondam fueram, Gellium scripsisse, *adverteremus*; sicuti XVI, 6, princ. *Redeuntes Græcia Brundisium navem advertimus.* Postea nihil mutandum censui. Nam *Donatus* pariter in vita Virgilii, *tandem*, inquit, *Brundisium adventârit.*

CAP. II, p. 836.

Τὴν συνεσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν.] Haud dissimiliter M. *Antoninus* Philosophus Lib: VI, §. 13, p. m. 48, τὴν συνεσίαν definit, ἐντερίε παράτριψιν καὶ μετά τινος σπασμε μυξαρίε

ἐκκρισιν, *intestini frictionem*, *& cum convulsione quadam muci excretionem.* Ubi vide *Catakerum* p. 225. Nimirum Veneris usu spiritus & nervi corporis conturbantur & concutiuntur.

CAP. VII. p. 840.

Julius Paulus] de quo vide sis *Memorias* nostras *Obscuras* P. I, p. 71.

Ibid. p. 841.

Julius Celsinus] de quo dixi in *Memoriis Obscuris* P. II, p. 138.

Ibid.

Laevii Alcestin] minimè *Naevii*, quem auctorem credit *Scaliger* ad Varronem p. 114, & cum eo *Fabricius* Biblioth. Graec. Lib: II, Cap. XVIII, p. 644, nec non *Reimmannus* in Historia Vocab. L. Lat. p. 12. *Alcestis* Tragoedia facta est ad exemplum Euripideae, quae inscribitur Ἀλκῆστις. Eamdemque & fabulam & inscriptionem imitati sunt, praeter *Laevium*, *L. Accius* & *Q. Ennius*.

Ibid.

Quis tam siliceo?] i, e, siliceus, ferreus? Quam vocem sibi notet Lexicon Fabro-Cellarianum.

CAP.

CAP. VIII. p. 844.

Amicitiam atque inimicitiam in fronte promtam gero.] Quem poëtæ *Ennii* verſum ſpectare mihi videtur *Apulejus* Apolog. p. m. 196, *Ego nihil clanculo, ſed omnia in propatulo ago, ac quivis vel extrarius arbiter aſſiſtat, more hoc & inſtituto magiſtrorum meorum, qui ajunt, hominem liberum & magnificum debere in primori fronte animum geſtare.*

CAP. IX. p. 846.

Antonius Julianus] de quo dixi in *Memoriis Obſcuris* P. II, p. 132 ſq.

CAP. X. p. 851.

Speciemque Veris] Mirè hic variant Codices, nimium hic ſe torquent Critici. Lege, *Veteres*, ſc. *balnei*; tum quod Codex minor Lugdunenſis habere fertur *Veneris*, tum quod credibile eſt, fabros ædium Cornelio & *Veteres* & *Novas* balnearum ſpecies oſtendiſſe; uti alibi me monere memini.

Ibid. p. 853.

Præter propter vita vivitur.] Neſcio an huc trahi poſſit βίος ἐφήμερος *Diogenis* apud *Ælianum* Lib: III. H. V. Cap. 29.

CAP.

CAP. XI, p. 854.


Dulcemque florem - -] Lege mecum (suadet *Trillerus* meus) *rorem*; quod melius. Ita enim *Ovidius* & *Tibullus* loquuntur. Ibid. pro, *itineri*, Meursius ad Macrob. Sat. II, 2, p. 227 mavult, *itiner*, ἀρχαϊκῶς.

CAP. XII. p. 856.

Vino Constitutum] Malim equidem, *Consitum*, quod antiquiores editiones tradunt. Ita enim rei rusticæ scriptores passim loqui video.

Ibid.

Falcem - -] Cujus figura describitur apud *Columellam* Lib: IV, Cap. 5, atque ab editione Gryphiana sic repræsentatur p. 165.



a Capulus.	*c* Sinus.	*e* Rostrum.
b Culter.	*d* Scalprum.	*f* Securis.

CAP. XIII, p. 858.

Festus Postumius] de quo dixi in *Memoriis Obscuris* P. II, p. 146.

* * *

LIB.

LIB. XX. CAP. I.

p. 860.

Illos decem libros Platonis de Legibus] Lege, *duodecim*, totidem enim sunt.

Ibid. p. 863.

SI. MEMBRUM. RUPIT.] *Festus* in v. *Talionis* legit, RAPSERIT. Sed *Cato*, qui eamdem XII Tabularum legem designare videtur, in Quarto Originum, *Rupit*, juxta cum Gellio scribit apud *Priscianum* Lib: VI, p. m. 196. *Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur.*

Ibid. p. 864.

Brevissimo Laniatu] Salmasius mavult *ferissimo*; alii *sævissimo*, uti *Cornelius van Bynkershoek* Lib: I, Obs. Jur. Rom. Cap. I. pag. m. 7. & post eum *Heumannus* Tom. I, Lib: I. Pœcil. Epist. X. p. 83. Retine vulgatum, *brevissimo*; nam sectio corporis debitoris in brevissimas sive exiguas partes, earumque inter plures creditores divisio significatur.

Ibid. p. 869.

Ad tantæ amplitudinis instar] Quem locum sane opportunum nemo eorum animadvertit,

qui *Servium*, negantem *τὸ instar* cum præpositione componi, reprehenderunt, *Freinshemius*, *Vossius*, alii. Significat autem *instar* inibi *formam*. Vid. *Bangii* Observat. Philol. p. 806 sq.

Ibid. p. 873.

Qui falsum testimonium dixisse convictus esset - -] Posterioribus quoque seculis capitalis fuit apud Romanos ψευδομαρτυρία. Vide *Julium Paulum* Recept. Sent. Lib: V, Tit. XXV, §. 2. Neque vero in castris impunitum fuit hoc flagitium, teste *Polybiô* Hist. L. VI, Cap. 35, p. m. 670, ξυλοκοπεῖται ὁ μαρτυρήσας ψευδῆ, *Fuste percutitur, qui falsum testimonium dixit*.

CAP. II. p. 874

Siticines] Errat *Lexicon Fabro-Cellarianum*, quum docet, Gellium *Sicinnistas* ex Accio eosdem facere, quos antiqui *Siticines* dixerant. Non ita profecto rudis est Noctium Atticarum scriptor.

CAP. III, p. 875.

Sicinnistas] De his jam affatim disseruisse audio *Reinesium*, *Vossium*, *Scaligerum*, alios; quorum nescio an quisquam observarit locum *Isidori* Lib. VI, Orig. Cap. XIX, p. m. 970, Chorus *est multitudo in sacris collectus*, —— *Cum autem unus canit, Græcè* Monodia, *Latinè* sicinium

nium *dicitur*: *cum vero duo canunt*, bicinium *appellatur*. Ex quo discas, a profanis gentilium sacris ad ecclesiam Veterem Latinam traductum esse vocabulum *Sicinii*, quod in Musica hodie *Solo* vocatur.

CAP. V, p. 877.

Τὰς ἀκροατικὰς - -] *Plutarchus*, qui hanc ipsam Alexandri epistolam refert in vita ipsius p. 668, ἀκροαματικὰς legit.

Ibid. p. 878.

Cognobiliorem] Fallitur *Jac. Mosantus Briosius*, qui hoc vocabulum inter singularia Gelliana notat, quum *Catonis* istud esse nemo non videt. Fallitur itidem *Lexicon Fabro-Cellarianum*, in quo *Cognobile* exponitur, *quod bene cognosci potest*, pro eo, *quod a pluribus scitur*, uti Græcum ξυνετοὶ ibid. indicat.

CAP. VIII, p. 881.

Ælurorum quoque oculi] ita primus emendavit *Phil. Beroaldus*, (vid. Gruter. Thes. Crit. T. I, p. 227) cum antea legeretur, *Elivorum oculi*; quod interpretes indicare supersederunt. Quod autem *Annianus* tradit de *oculis Ælurorum*, qui *ad vices lunæ aut ampliores fiunt, aut minores*, id procul dubio hausit ex *Plutarchi* Commentario de *Iside & Osiride* p. m. 376.

Ibid.

Pelusiotæ cæpe non edunt,] Conf. *Sext. Empiric.* L. III, Cap. 24, §. 224. p. m. 184. *Minuc. Felix* in Octavio XXVIII, 10, p. m. 109. & *Juvenal.* Sat. XV, 9.

Ibid.

Lunæ aucta atque damna] Sic constanter veteres, præter Codicem Regium, in quo legi traditur, *augmenta.* Goldastus suspicatus fuit *lucra, Gronovius* injudicatam lectionem relinquit. Ego receptam retineo, fretus testimonio quodam *Festi*: Auctum *vocabatur spatium circi, quod supra definitum modum victoriæ adjungitur.*

CAP. X. p. 885.

Vim illam civilem & festucariam] Lexicon Fabro-Cellarianum *vim festucariam* exponit, *quæ fit de festuca & re parvi momenti*; Sed inscitè, quam *festucaria* a *festuca,* virgula prætoria, dicitur. Vide *Jac. Rævardum* de Prisco Jure Vindic. Cap. 6, cum primis vero *Heineccium* Ant. Rom. Jurispr. L. IV, Tit. VI, §. 24, p. m. 229.

CAP. XI, p. 886.

P. Lavinii - -] De quo dixi in *Memoriis Obscuris* Part. I, p. 74.

* * *

FINIS.



